The Project Gutenberg EBook of Mysterium Arcae Boulé, by Burton E. Stevenson

This eBook is for the use of anyone anywhere at no cost and with almost no restrictions whatsoever. You may copy it, give it away or re-use it under the terms of the Project Gutenberg License included with this eBook or online at www.gutenberg.org

Title: Mysterium Arcae Boulé

Author: Burton E. Stevenson

Translator: Arcadius Avellanus

Release Date: July 30, 2014 [EBook #46456]

Language: Latin

*** START OF THIS PROJECT GUTENBERG EBOOK MYSTERIUM ARCAE BOULÉ ***

Produced by Carolus Raeticus

MOUNT HOPE CLASSICS VOL. III

MYSTERIUM ARCAE BOULÉ

Opus Anglice scripsit BURTON E. STEVENSON,
Latine interpretatus est ARCADIVS AVELLANVS.

NEW YORK CITY
37 Wall Street

COPYRIGHT BY
E. PARMALEE PRENTICE
1916.

LATIN PRESS PRINTING CO., 336 W. GIRARD AVE., PHILADELPHIA, PA.

For permission to publish this Latin version of "The Mystery of the

Boulé Cabinet" I take pleasure in expressing my thanks to Mr. Burton E.
Stevenson, the author of the story, and to Messrs. Dodd, Mead & Company,
the owners of the English copyright.

E. Parmalee Prentice.

37 Wall St., New York City, N. Y.

INDEX CAPITUM

CAPUT I: Prolubium Callentis
CAPUT II: Prima Tragoedia
CAPUT III: Manus Vulnerata
CAPUT IV: Fulmen
CAPUT V: Grady Operam Confert
CAPUT VI: Mulier in Causa
CAPUT VII: Rogers Percellitur
CAPUT VIII: Cautelae
CAPUT IX: Hariolationes circa Aenigma
CAPUT X: Praeparationes
CAPUT XI: Oculi Ardentes
CAPUT XII: Godfrey Exterritus
CAPUT XIII: Egregius quidam Salutator
CAPUT XIV: Matrona Velata
CAPUT XV: Arcanum Franci Ignoti
CAPUT XVI: Philippi Vantine Salutator
CAPUT XVII: Herus Armand Comparet
CAPUT XVIII: Ego et Arca Boulé Separamur
CAPUT XIX: "Mors!"
CAPUT XX: Effugium
CAPUT XXI: Godfrey Fabulam Poeticam Texit
CAPUT XXII: Crochard ille Invincibilis

CAPUT XXIII: Hero Pigot Obviam imus
CAPUT XXIV: Secretum Arcae
CAPUT XXV: Adamantes Michaelovitch
CAPUT XXVI: Sors Heri Pigot
CAPUT XXVII: Actus Dramatis Ultimus
CAPUT XXVIII: Crochard Epilogum Scribit

MYSTERIUM ARCAE BOULÉ

CAPUT I

Prolubium Callentis.[1]

"Eho!" exclamo ego interea dum auscultatorium[2] telephoni scriptoriae [3] meae nuntium excepturus deiungo.

"Herus[4] Vantine cupit tecum, mi Here, colloqui," nuntiat puer apparitor.

"Bene est," et interim audio nexús strepitum.

"Tune is es, mi Lester?" vox quaerit Philippi Vantine.

"Ego sum. Ergo iam domum venisti?"

"Heri adveni. Poterisne per otium hodie ad mecum prandendum venire?"

"Libenter faciam," respondi, sic et sensi, quod Philippum Vantine nunquam non plurimi feci.

"Itaque prima cum dimidio[5] te domi opperiar."

Sic ergo evenit ut post unius horae spatium versus Compitum Washington, paullo supra eum locum Plateae, ubi vetustae aedes Vantinianae stabant, perambularem. Hae fere iam erant solae quae ex antiquiori rerum ordine usque superfuerunt, nam impetus negotiorum e viis contiguis ipsam Plateam iam dudum invadere, incolatumque delicatiorem illinc exigere, ac versus superiores urbis partes compellere coepit. In locum privatarum aedium bibulis lapidibus fuscis constratarum, iam celsa sufficiebantur aedificia officiis negotiisque apta; nec nisi hic et illic passim rarae superstitabant familiae, ceu obfirmatum ac pervicax agmen novissimum, adventantem hostem minaciter excepturum.

Philippus Vantine unus horum fuit. Natus in ea domo est quam modo incolebat, in qua se et moriturum aiebat. Nec cuiquam hac in re ut placeret studendum ei erat, nisi sibi, quod coelebs solus vivebat, atque augescentem strepitum pulveresque viciniae diuturnis peregrinationibus solebat compensare. Etiam modo peregri domum venit.

Haud abs re erit hic uno labore indolis eius adumbrationem absolvere. Vantine aetate circiter quinquagenarius erat, re familiari commoda, artium quodammodo callens, qui antiquam supellectilem domesticam conquirere et coemere solebat, aliquanto erraticus—quamquam post descriptum vocabulum distinguendum censeo, et uno tantum sensu eum sic vocari posse, nempe, quod spretis multis irritamentis, coelebs manere satius duxerit. Mulierculae nupturientes iam pridem cessarunt eum in ullo numero habere; matres cum filiabus nubilibus nomen eius ominoso capitis nutu praeteriverunt. His praesertim auctricibus factum est ut ipse famá erratici notaretur. Rationes tamen quae eum ad solitariam degendam vitam induxerant, iurisconsultos suos nullo modo affecerunt—quod quidem iurisconsultorum munus nostrum consortium per multos

annos gerebat, cuius administratio pedetentim tota in manus meas devenit.

Opus haud erat nimis arduum, quod plerumque e pactis locationum exscribendis, cogendis locariis, e locandis sortibus,[6] et e componendis levioribus contentionibus, et iurgiis cum inquilinis consistebat—in quibus omnibus plena nobis decernendi facultas concessa erat. Subinde tamen necesse erat clientem nostrum, siquod negotium consueto gravius tractandum erat, vel ad subsignanda interdum documenta, adire et consulere, atque occasionibus istiusmodi, collocutionibus, quae negotia acta sequi solebant, nunquam non delectari consuevi; nam Vantine sermone delectabilis erat, cognitionem hominum mundique multis peregrinationibus doctus, habituque ingenii lepidi ac perspicacis, prorsusque sui, ornatus erat.

Ut aedes ingressus pileum baculumque pedisequo suo porrexeram, ipse mihi obviam venit, et alter alteri ex corde manus tetendimus. Ut aspectu eius ego delectabar, sic et eum meo gavisum esse arbitror. Optima videbatur uti valetudine, soleque erat ex itinere ustus.

"Iter tibi salubre fuisse palam est," alloquor eum ego.

"Fuit equidem," assentitur ipse, "nunquam melius valui. Verum accede, discumbentes commodius agemus. Est res quaedam paullo nodosior, quam tu pro me enodare poteris."

Post haec eum in studium suum comitatus sum, ubi, prope ad humilem fenestram, duo erant ad mensam accubitus parati.

"Merendam hic parandam curavi," causam dum discumbimus Vantine explicat, "quod istud revera solum est hac in domo amoenum cubiculum relictum. Nisi fundum illum contiguum ego possiderem, domus haec nulla esset.

Nunc nubiscalpia[7] satis distinere queo, ut subinde iubare solis frui nobis liceat. Quin et colum aereum instrui curavi, fenestrasque geminatas in cubiculis ad strepitus arcendos; et sic tuto dicere queo me hic perseverare posse."

"Satis intelligo in novam domum commigrare quam averseris," dixi illi.

Vantine gestu mimorum respondit:

"Nova mihi domus ferenda non esset. Huic sum assuetus; ubi quidque quod in ea sit, notum habeo; quorsum me in ea vertam, scio. Hic me crevisse nosti; et, ut ita dicam, in diem senescimus, eademque ratione assuetudines eiusmodi pluris facimus. Praeterea, nova domus novam exigeret instructionem, novam supellectilem—"

Cessavit paullo, et in cubiculo circumspexit. Quaeque pars supellectilis opus fuit artificis, suae artis peritissimi.

"Si recte auguror, dum peregrinabaris iterum aliquid novi invenisti," aio illi, "ita enim soles. Fortuna tibi semper arridet."

"Sic, sane—et hoc est cur te consulere optabam. Senas vel octonas res mecum retuli; eas tibi confestim ostendam. Cunctae sunt scitulae, una autem ipsa pulchritudo est. Imo plus ea est—opus singularis artificii est. Verum, pro mala fortuna, non meum est."

"Quid ais! non est tuum?"

"Non est, nec scio cuius est. Si scirem, praestinarem. Et hoc est quod te meo nomine facere velim. Est autem ea arca Boulé—parem cuius vidi nunquam."

"Undenam importata?" quaero ex eo magis magisque stupens.

"Parisiis, estque ad me directa. Unam tantum causam mihi fingere queo, convasatores nempe Parisiacos errasse, arcam alterius cuiusdam mihi mittendo, meam autem alteri."

"Emisti igitur unam?"

"Emi unam, sed ea non pervenit. At illa huic comparata nugae merae sunt. Homo meus Parks heri eam e portoria accepit. Siquidem in indicatione mea ut arca Boulé indicta erat, sed error usque eo detulit, donec ipsa arca huc delata evasataque est."

"An in portoria erat cratibus soluta?"

"Non erat; enimvero per tot annos merces importare consuevi, ut portitoribus satis constaret me furem haud esse."

"Haec profecto laus est," subnecto ego. "His tamen temporibus iam cuncta evertunt et eviscerant."

"Fortasse indicio acti, ut suspicor. Intra!" pulsui in foribus respondens.

Foribus apertis, pedisequus Vantine intrat.

"Vir, mi Here, te convenire cupit," ait ille, pagellamque nomenclatoriam [8] hero porrigit.

Vantine pagellam incurie contuetur.

"Non novi eum," inquit, "miror quid ille velit."

"Convenire te vult, mi Here, et admodum quidem, ut paret."

"Quamnam ob rem?"

"Equidem rationem, mi Here, elicere nequivi, sed rem urgere existimo."

"Nequisti elicere? Quonam, Parks, haec tendunt?"

"Hominem eum Francum esse censeo, sed utut res sit, Anglice non satis callet. Aspectu haud multum prodit, mi Here—centenos eius similes Lutetiae ante caffarias[9] circumsedentes per platearum longitudines videre solebam, ad hauriendum cyathum cami[10] totum insumentes tempus pomeridianum."

Aliquid in mentem Vantine incidisse videbatur, iterumque intuetur pagellam. Tum meditabundus in mensam deposuit.

"Visne foras eum expediam, mi Here?" rogat denique Parks.

"Id noli!" paululum dubitans respondit Vantine. "Rogabis eum ut modicum exspectare velit," interea pagellam iuxta patinam suam reponens.

"Mihi crede, mi Lester," pergit ille, postquam Parks discesserat, "quum hoc mane arcam visum descenderam, vix oculis meis credere poteram. Quid quamque supellectilem prae caeteris maxime commendaret scire me putabam, attamen arcam eiusmodi vel exsistere non somniavi. Pulcherrima quam mihi unquam videre contigit, in Louvre est. Haec autem in aula Ludovicea Quartodecimana, a laevo ad ingressum stat. Ea ipsius Ludovici olim erat. Sine accuratiori indagine utique certo scire nequeo, suspicor tamen, pulchra ut sit, ad normam huius esse factam."

Parumper conticuit, meque oculis micantibus flammaque succensis hominis callentis.

"Haud mihi certo constat utrum idioma tuum satis calleam," retuli ego.
"Quidnam sonat 'ad normam esse factam?'"

"Supellex Boulé," explicat ipse, "plerumque fit ex ebeno, testudine variegato ac musivo, in aere diversi generis incrustata. Opus autem crustandi ad amussim fieri debebat, quod ut fieret, artificem duas lamnas eiusdem magnitudinis et crassitiei adhibere oportebat, alteram petalum, testudinem alteram, delineavit vero superiorem, excidit autem simul utramque. Sic duo crusta effecta sunt, primigenium cum fundo testitudinaceo aereisque capulis; atque gemellum, redditivum petalum cum musivo testitudinaceo. Primigenium reapse est opus artificis in effectibus meditatum ac delineatum; redditivum autem e norma casu oriundum, ab eo non speciatim meditatum. Nuncne tenes?"

"Sic puto," respondi. "Ita fere res est ac si Michael Angelus, quum primum quamdam imaginem albo delineavisset in fundo nigro, tentamini in charta paginam supposuisset fuliginosam, unoque opere et simulacrum eius nigrum in albo effecisset."

"Prorsus ita. Primigenium igitur ut ars in pretio est. Utique et redditivum saepe eximium est, tamen gradu quodam humiliori."

"Id satis perspicio," respondi.

"Nunc vero, mi Lester," pergit Vantine, oculis magis magisque scintillantibus, "si recte suspicor—si Magnus ille Ludovicus contentus fuit illo redditivo huius arcae pro longis aulis Versalibus, quem existimas originariam possidere?"

Quid ei in mente esset, perspexi.

"Quamdamne amicarum intelligis?"

"Id intelligo, scireque puto quae illa fuerit—Matrona ea fuit de
Montespan."

Stupefactus eum contuebar, ut ipse in sella reclinatus in me subridebat.

"At," obverto illi, "certus esse non potes—"

"Recte mones," assentitur protinus, "certo scire nequeo. Hoc est, probare non possum. Est tamen quoddam—ut ita dicam—testimonium accessorium, ut, ni fallor, vos iurisperiti appellatis. Boulé atque Montespan illa circa hoc idem tempus in summitate suae gloriae fulgebant, mihique facile persuadeo coruscam hanc mulierculam illustri artifici demandavisse ut plane istiusmodi arcam sibi conficeret."

"Revera, mi Vantine," refero ego, "ne somniavi quidem te poesi tantum posse. Spiritum mihi eripis."

Ad haec verba aliquantum erubuit, vidique quam e corde locutus esset.

"Furor potiendi conquisitorem subinde abripit," fatur ipse, "Quid tamen loquar, scire me arbitror. Primum quidem quam potero arcam minutissime explorabo. Fortasse aliquid reperiam—monogramma alicubi delitescere debet. Id abs te flagito ut Armand et Fils, Via Templi, qui mihi hanc vendiderant, telegraphema mittas, disquirasque quis huius arcae dominus sit, eamque pro me emas."

"Fortasse dominus vendere nolet," obverto ego.

"Imo vendet. Nihil est quin emi possit—pretio."

"Aisne tu hanc arcam te empturum quovis pretio?"

"Aio, profecto."

"Atqui certe sunt aliqui limites."

"Quin nulli sunt."

"Statues dumtaxat ubi incipiendum sit," respondi. "De his enim rebus mihi prorsus nihil compertum est."

"Est," inquit Vantine, "fac te incepturum denis millibus centussium[11] Francicorum. Cave nimis avidi videamur. Ob hoc ipsum, quod ego nimis sum avidus, rem tibi exsequendam concredo. Mihi enim ipsi non confido."

"Altera vero extremitas?"

"Nulla alia est extremitas. Proprie loquendo, utique est, quod opes meae limitibus haud carent; non tamen existimo futurum ut quingenta millia francorum te excedere oporteat."

Spiritus mihi haesit.

"Aisne tu te centum millia centussium Americanorum in istam arcam insumere paratum esse?"

Vantine nutu probat.

"Forte et plusculum. Si dominus recuset, antequam negotiationem dirimas, fac me certiorem. Quodammodo circa hanc rem insanio, ut opinor—omnes conquisitores insaniunt. Verum eam arcam concupivi, nec me quidquam ab ea habenda arcebit."

Nihil respondi. Oculos modo in eum defixi. Renidendo obtutum meum excepit.

"Te, Lester mi, idem de me sentire perspicio," inquit. "Mei causa times.
Nec te culpo—at veni et vide."

Surgens itaque, me comite e cubiculo egressus est, ac per gradus descendit; sed in inferiori ambitu constitit.

"Fortasse aequius esset," inquit, "si peregrinum eum prius convenirem. Illic, in aula musica, aliquot novas invenies imagines—paucis minutis tibi adero."

Ego igitur eo ire coepi, ipse autem laevorsum sub fornicatu transivit.

Momento temporis post acrem audivi vagitum, tum suam vocem me appellantem.

"Lester, veni huc!" clamat ille.

In ambitu retro curro, et conclave, quod eum intrare vidi, intro. Ipse interius, prope ad fores stabat.

"Specta modo illuc," fatur singulari quodam vocis aculeo, tremula manu aliquid atri in tabulato iacens indicans.

Parumper secedens melius ut viderem, cor mihi aegrum edidit pulsum; aliquid enim ibi iacens cadaver erat humanum.

[1] Gnari, periti.

[2] Pars telephoni, quam ad excipiendum sermonem ad aurem attollimus.

[3] *Scriptoriae*, subaudi: *mensae*.

[4] Non ignoro hanc alloquendi formam a moribus Romanorum alienam esse; at hic non Romani sed Americani,

Americano more loquuntur et agunt; proinde: *Si fueris Romae, Romano vivito more, Si fueris alibi vivito, sicut ibi!*

[5] *Prima cum dimidio*, subaudi *hora*.

[6] Romano sensu mercatorio *sors* sive *caput*, i.e. pecunia in negotium locata; sensu moderno etiam *charta* mercatilis quae exhibet quantam quis pecuniam in negotium locaverit, uti per sortes ferroviarum, fabricarum, caeterorum negotiorum, quae chartae mercatiles in *basilicis* sive locis, ubi mercimonia emutantur, per *arilatores* emuntur et venduntur.

[7] Aedificia celsa, vicenum tricenumque contignationum, ab Americanis per iocum "coeliscalpia" vocitantur; nobis, exemplo Titánum doctis, sufficiat, eadem *nubiscalpia* appellare.

[8] Chartulam quadratam, nomen ádvenae ferentem.

[9] Tabernas, ubi *caffa*, Arabibus *cahva*, sorbillatur.

[10] Vulgo *cerevisiae*.

[11] Centussis Americanus = $1.00; Francicus = circiter una quinta huius.

CAPUT II

Prima Tragoedia.

Vel unico ictu oculi satis clarum erat hominem mortuum esse. Nulla in eo vultu livido vita latere poterat, aut vero in oculis vitro similibus.

"Cave eum attrectes," moneo eum, quod Vantine iam accedere parabat. "Iam sero est."

Eum itaque retraxi, ac paulisper ambo trementes stabamus, ut fere semper, quum subito in conspectum mortis incurrimus.

"Quisnam ille est?" tandem quaerito.

"Nescio," rauce respondit Vantine. "Nunquam eum antea vidi." Inde ad tintinnabulum ostii regressus, acriter pulsat. Tum, "Parks," prosequitur severe, ut hic per fores in conspectum venerat, "quidnam hic gestum est?"

"Gestum, mi Here?" verbum repetit Parks stupefactus non modo verbo sed et voce qua prolatum erat. "Prorsus nihil scio quid—"

Tum convulsum cadaver ei sub oculos cecidit, quo protinus obmutuit, oculi patescere, os patere.

"Ecquis iste est?" quaerit herus acriter. "Ut quid iste hic est?"

"Hem—hem," aegre balbutit Parks, "ille iste est qui hic et praestolabatur, mi Here."

"Aisne tu eum hac in domo caesum fuisse?" instat Vantine.

"Certe ipse vivus intravit, Here mi," respondet Parks magis interea ad se reversus. "Fieri potest eum nihil nisi quietum quaesivisse locum ubi se perimere posset. Animo aliquantum excitus fuit."

"Sane profecto," probat Vantine cum suspirio ex allevatione, "iusta videtur explicatio. Tamen utinam alium locum sibi elegisset. Existimo, mi Lester, nos decuriam lictoriam[1] appellare oportere."

"Sic et ego puto," inquam, "aeque ac mortuarium inquisitorem. Satius fortasse erit ut haec penes me linquas. Conclave hoc obserabimus, nec domo quisquam usque eo dum lictores adveniant excedet."

"Dictum bene," multum sublevatus ait Vantine. "Dabo operam" ait cito discedens, dum ego ad telephonum accessi, evocavique decuriam lictoriam, et quid accidisset, edocui.

Minutis vicenis post tintinnabulum ostii personuit. Parks ostium aperuit, et quatuor viros intromisit.

"Heus, eccum te, mi Simmonds," inquam, eum affatus qui primus ingressus est, utpote quem velut decurionem agentum[2] e declarato Mysterio Marathonico agnoveram. A tergo eius stabat Inquisitor Mortuarius, Goldberger, quem iam alias bis conveneram; tertius autem, qui vultu quaerebundo in me renidens intrabat, fuit Iacobus Godfrey,

genialis relator diurni *Record*. Denique quartus lictor erat paludatus, qui iussu Simmonds ad ostium custos constitit.

"Ita, revera," inquit Godfrey ut manus tendimus, "casu cum Simmonds colloquebar, quum accitu evocabamur tuo, ac satius duxi ipse quoque advenire. Quidnam rei est?"

"Haud plus suicidio, ni fallor," reseravique fores in conclave ducentes, ubi cadaver iacebat.

Simmonds, Goldberger, Godfreyque intraverunt. Ego secutus fores clausi.

"Nihil hic turbatum est," moneo eos. "Cadaver nemo contrectavit."

Simmonds nutu probavit, ac speculabundus in conclavi circumspexit; sed oculi Godfrey, ut animadverti, in vultum cadaveris erant defixi. Goldberger se in genua demisit iuxta corpus mortui, inspectabat oculos, et digitis carpum mortui laevum palpabat. In pedes erectus, stans spectabat cadaver, ego autem oculos eius comitatus, situm cadaveris accuratius observavi quam primo stringoris cadaveris inventi momento.

Iacebat autem cadaver in latere dextro, semipronum, dextro brachio sub se flexo, laeva autem manu in tabulato, supra caput, in pugnum stricta. Genua sursum erant contracta, ac veluti spasmo convulsa; vultus autem horridum in modum erat torvus quasi sub cute purpurá tinctus esset, sanguisque subito rigore congelasset. Oculi late patebant, quorum obtutus rigidus non parum addebat terrori atque dolori e vultu manifesto. In summa, aspectus hic haud erat gratus, prohinc post brevem moram oculos non sine tremore animi reluctantis averti.

Mortuarius in Simmonds respicit.

"Causa mortis haud procul quaerenda," fatur ille. "Utique venenum."

"Utique," annuit Simmonds.

"At quod genus?" quaeritat Godfrey.

"Id examinis erit declarare," ait ille; tum iterum proclinat ad vultum torvum mortui paullo accuratius inspiciendum.

"Licet mihi asserere indicia haud esse communia."

Godfrey humeros motabat.

"Numquis aliter asseruit?" refert ipse, quo facto, ad dispiciendum in conclavi se convertit.

"Quid tu, Here Lester, super hac re habes quod dicas?" quaeritat
Goldberger.

Quae scivi cuncta edisserui—quemadmodum Parks adventum peregrini retulerit, quí ego cum Vantine descenderim, quí Vantine me appellaverit ac, postremo, quí Parks cadaver idem cum advena esse declaraverit.

"Estne quidquam quod hac de re coniectes?" quaerit Goldberger.

"Nihil nisi quod causam huc veniendi simulatam putem—nempe hunc peregrinum tutum quaesivisse locum, ubi mortem nullis testibus sibi adscicere liceret."

"Quantum temporis intercessit inter nuntium a Parks allatum, vestrumque cum Vantine descensum?"

"Dimidium fortasse horae."

Goldberger nutu probat.

"Citemus Parks," iubet ille.

Pansa igitur ianua Parks qui in infimo gradu sedebat, inclamando accersivi.

Conclave intrantem Parks Goldberger sollertiori cura intuitus est; sed dubio circa Parks haud erat ullus locus. Nam ipse in servitiis Vantine denos octonos aut iam exegerat annos, atque indiciorum caculae probi ac fidi prorsus erat plenus.

"Nostine hunc hominem?" quaerit Goldberger, cadaver gestu indicans.

"Non novi, Here," respondet Parks. "Nunquam ante circiter unam horam eum vidi quam Rogers me e diaeta devocaverat, aliquem hic esse significando qui herum Vantine convenire vellet."

"Quisnam est Rogers?"

"Pedisequus ille est, Here. Ille est qui tinnitu ostii evocatus apertum ivit."

"Quidnam tum evenit?"

"Ego pagellam eius nomenclatoriam ad herum Vantine detuli."

"Num herus Vantine novit hominem?"

"Non novit; proin causam eius adventus sciscitatus est."

"*Quonam* ergo proposito venit?"

"Nescio, mi Here; Anglice fere nihil sciebat—Francum eum fuisse puto."

Goldberger iterum deorsum in cadaver spectabat et caput motabat.

"Prosequere!" ait ille.

"Is vero tam erat animo concitus," pergit Parks, "ut vel quod parum
Anglice sciverit, ei excidisset."

"Qua de causa eum concitatum fuisse iudicavisti?"

"Ita balbutivit, ita oculi scintillabant. Inde putavi eum intravisse, ut hic mortem suicidio oppeteret—nec mirarer si reperires eum alicunde evasisse. Quodammodo in mentem mihi venit satius fore eum exigere, quam pagellam eius hero Vantine exhibere—utinam ita fecissem—at vero pagellam eius ad herum Vantine detuli, herus vero Vantine eum per me considere iussit atque se opperiri, prohinc iterum descendi, hominem huc intromisi, herumque Vantine mox adventurum ei dixi, quo facto, Rogers et ego ad prandendum recessimus, ibique ad tinnitum usque nolae sedebamus, tum ego huc accessi, ubi herum Vantine praestolantem reperi."

"Aisne tu te Rogersque discessisse, atque hunc peregrinum hic solum reliquisse?"

"Triclinium famulorum, Here, in extrema fauce est. Ianuam apertam reliquimus ut prospectus nobis per longitudinem faucium in atrium usque ostii pateret. Si e conclavi egressus esset, nobis eum videre licuisset."

"Nec est ipse in ambitum egressus dum vos ibi morabimini?"

"Non est."

"Quisquamne intravit?"

"Nemo quisquam; ostium seram fert recellentem. Extrinsecus nisi clavi reserari nequit."

"Certo igitur tibi constat, dum tu atque Rogers ibi sedebatis neminem aut ingredi aut egredi potuisse."

"Ne posticá quidem ianuá, mi Here; nam ad egrediendum illac, triclinium, ubi nos sedebamus, debet transiri."

"Ubi interim erant caeteri famuli?"

"Coca erat in culina, Here. Dies autem hodiernus ancillae feriatus est."

Mortuarius conticuit. Godfrey atque Simmonds taciti auscultaverunt eius disquisitiones, neuter tamen erat iners. Isti interea conclave molliter perambulabant, introspexerunt per ianuam apertam cubiculum contiguum, tentarunt pessulos fenestrarum, ac, denique, tapetas quoque minutatim indagaverunt.

"Ad quem usum adhibetur cubiculum contiguum?" quaerit Godfrey, digito ianuam eius indicans.

"Id modo genus est fornicis," respondit Parks. "Herus Vantine modo est ex Europa reversus, et nos ibi evasavimus quasdam res quas ipse peregri praestinaverat."

"Haec, puto, sufficient," fatur Goldberger post brevem moram. "Velis, rogo, herum Vantine intromittere."

Parks prodivit, ac minuto post Vantine intravit. Ipse ea quae ego et
Parks fassi sumus, confirmavit, unicam tamen rem addidit.

"En hic est pagella nomenclatoria hominis," ait, manuque rigidam chartulam quadratam obtulit.

Goldberger cepit pagellam, aspexit, tum adstanti Simmonds porrexit.

"Id haud multum prodit," ait hic, traditque Godfrey. Ego trans humerum eius aspexi, vidique in chartula hunc unum versiculum esse incisum:

M. THÉOPHILE D'AURELLE

"Nisi quod Francus est, ut Parks prodidit," inquit Godfrey. "Id vel de vestimenti lineamentis clarum est."

"Aeque ac de modo tonsurae crinium," subiungit Goldberger. "Aisne tu, mi
Here Vantine, te eum non novisse?"

"Eum, quantum sciam," respondit Vantine, "nunquam antehac conspexi.
Nomen mihi penitus ignotum est."

"Tum, igitur," fatur Goldberger, iterum recepta, sacculoque commissá chartulá, "iuvabit fortasse cadaver in grabatum sublevare prope ad fenestram, contentaque sacculorum videre."

Homo gracilioris erat staturae, ita ut Simmonds et Goldberger soli, sine labore, tollerent, et grabato imponerent. Vidi interea Godfrey per locum in tapeta vacuefactum circumspectare.

"Unum praesertim scire cuperem," ait post moram, "si homullus hic venenum sumpsit, quonam e vasculo id fecerit? Ubinam est theca, aut phiala, aut quid aliud?"

"Est fortasse in palmo," putat Simmonds, dextramque eius sublevat, quae ad latus grabati dependebat.

Ubi vero hanc in iubar solis tollit, acriter exclamat:

"Cernitedum!" quo dicto manum sic vertit ut eam omnes videre possemus.

Erat autem ea tumida et fusco suffusa.

"Vide hoc," ait Simmonds, "eum aliquid percussit," et duas graviores puncturas in manu conversa, paullo supra digitorum iuncturas ostendit, unde aliquot guttulae sanguinis manaverant quae iam siccatae erant.

Stupore concitatus Godfrey leni voce mutit, et ad accuratius inspiciendum vulnus prorsum proclinavit. Tum serio vultu ad nos conversus,

"Homo iste," inquit voce submissa, "non hausit venenum, sed caesus fuit!"

[1] *Decuria* est locus et officina, ubi *decurio*, sive praefectus lictorum, negotium securitatis civium administrat. *Lictores* sunt servi publici, custodes pacis publicae.[2] *Agentes* sunt *speculatores*, vel *curiosi*, quorum est secreta malefacta indagare, retegere atque compéscere.

CAPUT III

Manus Vulnerata.

"Caesus fuit!" repetit verba Godfrey certitudinis quadam conscientiá, ad quae verba paullo arctius nos conglobávimus, prae detestatione facinoris trementes. Mors nunquam non est horrenda, suicidium horrorem auget; homicidium coronidem imponit. Omnes itaque silentio obruti stetimus, oculis patulis, quasi fascinio manús, quam Simmonds nobis praetendebat, constricti, atque minutis illis vulneribus, decolore carne, maleque ominantibus maculis coagulati sanguinis in circuitu decurrentis, cinctis. Tum Goldberger, profundo spiritu ducto, eandem quae meum animum subiverat cogitationem his reddidit verbis:

"Hem, res ista morsui colubri est similis!" fatur voce per stuporem exacutá.

Ac revera ita parebat. Duae illae minutulae puncturae, vix dimidio pollice seiunctae, a colubro certe poterant infligi.

Quod in conclavi celeri contuitu circumspectavimus, et quod algidus horror per media dorsa nostra sursum repebat, nobis invitis fiebant; ego tamen et Godfrey atque Simmonds— excusari poteramus quodam lethali colubro, qui memoriá nostrá certe nunquam abolebitur. Nos itaque alter in alterum contra stimulum renidebamus, alter alterum intuentes.

"Equidem ego anguem fuisse non censeo," fatur Godfrey, iterum supra vulnus inclinatus. "Age modo, Here Goldberger, olfacta," suadet.

Mortuarius nasum propius ad vulneratam manum applicat et olfactat.

"Amygdala amara olet!" pronuntiat.

"Quod acidum Borussicum sonat," interpretatur Godfrey, "non autem virus anguineum." Tum paullo conticuit oculis in vulnus tumidae manus defixis. Et nos luminibus deiectis stetimus, nec dubito quin et caeteri, ut ipse ego, animos discruciarent, quo nempe modo viam ex his ambagibus reperire possent. "Licet et coniectare vulnus ab ipso se illatum esse," mussat secum Godfrey.

Goldberger opinionem derisit. Sine dubio aenigma insolubile nervos suos irritavit.

"Haud est moris apud plerosque fuscinulam manui propriae infigere, sicque sibi mortem consciscere," cum ironia respondit.

"Nec id assero," blande refert Godfrey, "arguere tamen iuvat ex mea parte nos necdum scire utrum hic de suicidio agatur; perspicuum tamem mihi est, quidquid sit, esse prater morem."

Ludibrio etiam severiori redarguit Goldberger:

"Num ullus relatorum *Record* unquam reperit casum qui *more consueto* acciderit?" quaeritabat.

Petitio haec satis erat gravis sub qua licebat Godfrey ad otium ingemiscere. Secundum sententiam enim *Record* nulla erant nova nisi insolita atque stupenda, unde per se

sequebatur relatores *Record* semper enisos fuisse ut omnia in insueta ac stupenda, detrimento reliquae partis dicendorum, inflarent; caeterum, nec hoc raro, ut vereor, quum particularia deessent, ea prorsus e nihilo comminiscerentur.

Ipse adeo Godfrey, nec semel, reus existimabatur ingenio exuberanti suo figmenta comminiscendi. Nec abest suspitio eum, deposito munere, copias agentum reliquisse, seque diurno *Record* in servitium dedidisse. Quod enim in priori munere in numero defectús haberi poterat, in posteriori maximo merito adscribi licebat; certe constat eum summum successum esse assecutum.

Caeterum lectores monitos esse volo me haec non censurae causa memorare. Cum Godfrey etenim mihi intimá contigit familiaritate uti, quod casu coniunctissimi inter nos facti sumus inde a temporibus soluti Holladay arcani, indeque eius sagacitatem nunquam non ex corde maximi feci, aeque ac fiduciam sui inconcussam, celeremque res perspiciendi facultatem. Ita ipse sua imaginandi facultate uti consuevit, ut ego saepe mecum reputarem quanto plus lictores nostri acumine possent, si quadam parte huius ingenii praediti essent; saepius etiam comperi huius ope eos multum delectari; caeteroquin sua cum iis prisca coniunctio, fidaque in amicitiis perseverantia, quas tunc temporis conciliaverat, accessum ad ea loca sibi comparaverunt, quae aliis, minus fortunatis relatoribus haud patérent. Actum quemlibet minus probandum nunquam eum commisisse memini, nunquam enim causam sibi iniustam visam propugnavit, facta sibi confisa nunquam evulgavit, nec quod ementitum cognovit unquam loco veri venditavit. Insuper quidam sensus lepóris sodalem eum reddidit optatissimum, atque haec eius indoles in causa esse videbatur quare telum Mortuarii Goldberger tam bono animo subridens excepisset.

"Victum nos mereri oportere tu satis nosti," ipse respondit. "Hunc probissime quam possumus meremur. Quidnam *tibi*, Simmonds, videtur?"

"Ego quidem," ait Simmonds, qui si facultate imaginandi vel maxime pollebat, nunquam prodidit, "puncturas illas pusillas in manu casu tantum factas esse censeo. Effici autem diversissimis modis poterant. Fortasse cadens manum rei alicui illisit; fortasse in fibula quadam eam scariphavit; denique forte pustulas ibi cultello aperuit."

"Quid tum eum morte affecit?" quaerit Godfrey.

"Venenum—et hoc in stomacho eius est. Ibi id reperiemus."

"Quid de odore?" Godfrey instat.

"Aliquantulum eius, phialam ad labia attollendo, in vestes suas casu dispersit. Poterat puncturas eas iam antea in manu habuisse, quas dein venenum inflammavit. Aut vero e malo sanguinis laboravit."

Goldberger nutu haec probavit, quae Godfrey iuxta stans leni risu excepit.

"Nonne aenigmata facile solvuntur?" quaesivit tandem.

"Oppido facilius est causam simplicem naturaeque congruam reperire quam repugnantem, longeque petitam—uti si quaeratur, quí unus alterum, manus eius scariphando, occidere possit," regerit Goldberger. "Tu existimare videris hunc casum fuisse. Hoc enim paullo ante asseveravisti."

"Fortasse paullo nimis praeceps fui," fatetur Godfrey; ego vero suspicabar eum, quaeque sua sententia fuisset, in ea perstaturum. "Nulla equidem ego theoremata, usquedum quid certi habeam cui insistam, conflabo. Facta suicidium

suadent; verum si acidum Borussicum hauserit, ubi est phiala? Annon etiam eam deglutivit?"

"Fortasse eam in aliquo sacculorum reperiemus," putat Simmonds.

Sic admonitus Goldberger ad perquirendos mortui sacculos perrexit. Indumenta e viliori materia facta, nec admodum nova fuerunt, ita ut vivus parumper tenuiorem parebat aspectum prae se tulisse. Interior sacculus tunicae crumenam celabat cum duabus tesseris argentariis, una decentussium,[1] quincentussium altera, in alia vero crumenula, quam in sacculo braccarum gerebat, inventi sunt duo vel tres centusses in nummis argenteis, atque quatuor quinari, Francici. Praeterea, in maiori crumena quinae senaeque in uno loculo eiusdem conditae pagellae nomenclatoriae varia nomina ferentes, nulla tamen ferebat suum, reperiebantur. Uni earum titulus Vantine inscriptus fuit graphide.

Nullae litterae, nullae schedae, nullum scriptum documentum cuiuscunque generis in sacculis inventae sunt; caeterae res erant eiusmodi, quas quiscunque in sacculis gestare posset—horologiolum nullius pretii, cultellus, semivacuus sacciculus nicotianae[2] Francicae, pugillus chartularum pro volvellis,[3] quaternae aut quinae claves in annulo, mucinium sericeum, ac fortasse aliae nugae, quarum memoria mihi iam excidit—sed prorsus nulla res, quis ipse fuisset, nos docere posset.

"Remulcandum[4] itaque nobis Parisios erit," monet Simmonds. "Nam ille
Francus est citra dubium—id enim vel mucinium sericeum probat.

"Sic, sane—quin et sua amica idem demonstrat," ait Godfrey.

"Quid? sua amica?"

In responsum Godfrey ostentat horologiolum, quod rimabatur. Aperuerat etenim illud, et in facie capsulae interiori effigiem reperit photographicam—effigiem mulierculae, nigris patulisque oculis, labellis spissioribus, vultuque ovato—et vultus naturá adeo Franciscus erat, ut nulli errori daretus locus.

"Ancillam dixerim alicuius matronae," interpretatur Godfrey, effigie iterum inspecta. "Scitula et venustula quondam, sed primam iuventutem longe egressa, consultum videtur iudicasse aliquem virum beare, statu se inferiorem—quin et e re sua familiari eundem suffulcire, ut eum sibi devinciret. Esse igitur videtur muliercula cum vita multiplici anteacta, futurá nullá."

"O, siste ea," impatiens rumpit loquelam Goldberger; "fac comparcas tua epigrammata pro *Record*. Nos facta quaerimus."

Rubore his verbis suffusus Godfrey horologiolum deposuit.

"Est sane unum factum quod tu praeterivisse videris," quiete ipse refert, "id tamen praeter omne dubium probat hunc nullo casu fortuito huc errasse. Quin is consulto huc venit, nec proin mortem sibi inferre in animo habere potuit."

"Quinam hoc tibi notum?" dubius postulat eum Goldberger.

Godfrey tollit crumenam, aperit, pagellamque sublevat. "Iam tenes quid in dorso huius scriptum sit—nomen heri Vantine, numerusque domus eius. Nonne hoc evincit misellum hunc Neo Eboracum, herum Vantine visum consulto venisse?"

"Fortasse herum Vantine eum occidisse innuere vis," fatur Goldberger per sarcasmum.

"Id minime," refert Godfrey; "ipsi ne tempus quidem suppetebat. Tu, mi Here Vantine, utique intelliges," renidens in eum fatur, qui haec omnia praesens non sine conturbatione animi auscultabat, "nos ea nunc pertractare quae evenire poterant. Te hunc nullo pacto interimere potuisse iam Lester satis comprobavit, quum nos docuisset, inde a primo huius in tuam domum ingressu usque ad tempus inventi cadaveris tecum una fuisse, demptis iis paucis momentis, quae inter tuum in hocce conclave ingressum, atque clamorem, quo eum appellaveras, intercesserunt. Tu ergo extra quaestionem es."

"Habeo tibi gratiam," paullo frigidius respondit Vantine.

"Tum, ut opinor, Parks id fecisse putas," ait Goldberger.

"Parks id facere potuisse haud negaverim," seriuscule assentitur
Godfrey.

"Ineptiae!" interpellat Vantine impatiens. "Nihil nostro Parks est rectius—is comitem per octennium mihi se praestitit."

"Certe sunt ineptiae," approbat Goldberger. "Ineptiari etenim est asseverare hunc a quocunque homine fuisse occisum. Ipse se occidit. Intelligemus aenigma quum sciverimus quis iste ipse fuerit—zelotypia fortasse, fortasse nihil nisi mala fortuna—non enim speciem fert hominis opulenti."

"Remulcabo Parisios," ait Simmonds. "Si iste illinc est, mox experiemur."

"Satius esset arceram[5] si accerseres curaresque ut cadaver in conditorium[6] deferretur," monet Goldberger. "Illic enim aliquis eum certe agnoscet. Nam cras magna illic erit turba, siquidem diurna cras hac re affluent—"

"*Record* dumtaxat rem hanc affatim pertractabit," Godfrey confirmat.

"Ego autem inquisitionem in posterum diem indicam," pergit Goldberger.
"Interim ad medicum examen instituendum medicum meum extemplo submittam.
Si stomachus huius ullo veneno infectus sit, protinus comperiemus."

Godfrey siluit, quid tamen secum in mente volverit satis perspexi. Sic ipse ratiocinabatur: si iste mortuus veneno interiit, vasculum unde id sumere poterat, nullum erat repertum. Eadem cogitatio sine dubio Simmonds quoque mentem occupabat, nam postquam lictorem arceram accersere iusserat, ex ambitu in conclave redivit, adhibitá suá faculá electricá, omnem opaciorem conclavis angulum explorare coepit. Godfrey eadem re se occupabat, nullo tamen fructu. Tum Godfrey manum sauciam minutissimá curá inspiciebat, dum Goldberger haec videns vix celare poterat quam impatienter rem ferret, ac tandem ad ianuam accessit.

"Ego vero iam abeundum esse censeo," fatur ille. "At ego perquam cupio scire, mi Here Mortuarie, quid medicus tuus reperturus sit."

"Ille venenum reperiet sine dubio," asserit Goldberger omni certitudine.

"Fortasse reperiet," concedit Godfrey. "Res mirae hoc in mundo eveniunt.
Erisne domi tuae hac vespera, Lester?"

"Ita spero," respondi.

"Usquene in Marathon habitas?"

"Usque ibi habito, contubernio quartodecimo."

"Te visum fortasse decurram," inquit, et pauca post momenta audivimus sonitum ostii a Parks, qui eum emiserat, clausi.

"Godfrey vir bonus est," monet Goldberger, "sed non parum poeticus. Nullum est scelus in quo ipse non mysteria rimetur, quum tamen crimina nihil nisi acta bellualia sint. Vel hunc licet casum contempleris. Vides hominem sese occidisse; Godfrey nobis persuadere vult mortem e scariphatione manús provenisse. Non, Hercle, in orbe terrarum est venenum quod hominem tam cito enecet—quoniam eum mortuum concidisse oportebat antequam ex conclavi ad opem invocandam excessisset. Si id acidum Borussicum fuerit, oportet eum id deglutivisse. Memineris hunc in isto conclavi haud plus quindenis aut vicenis minutis exegisse, et ab hero Vantine iam penitus mortuum esse inventum. Homines non tam facile moriuntur—non e scariphicatione manús. Quin nequaquam facile moriuntur. Mirum plane est quam difficile sit hominem necare—quantopere anima, aut quidquid id tibi vocare placeat, corpori inhaerescat, vitaque perduret."

"Quinam interpretaberis titulum in pagella, Here Goldberger?" quaero ab eo.

"Mihi persuasum est hunc misellum cum hero Vantine revera aliquod negotium habuisse; fortasse pecuniam mutuam volebat petere, aut opem ab eo impetrare, ac dum exspectabat, rem missam fecisse, mortemque conscivisse. Titulus ille cum suicidio prorsus nihil habet commune, ut mea fert opinio. Addam praeterea si hoc non suicidium est, casum esse maxime insolitum omnium qui unquam mihi sub oculos ceciderunt."

"Sic, sane," inquam. "Si non suicidium est, protinus inter saxum et mare haeremus."

"Prorsus ita," nutu impense assentitur Goldberger. "En arceram!" subiungit, ut nola personuit.

Vespillones cum feretro intrant, cadaver imponunt et evehunt. Goldberger tantum moratus est dum res cadaveri detractas collegit.

"Vos autem," inquit ad nos conversus, "in inquisitione testimonia perhibebitis: ita et Parks atque Rogers. Servabitur autem ea perendie, verosimiliter hora decima; sed de hora iam certiores vos faciam."

"Statues bene," respondi, "aderimus;" quibus dictis Goldberger nobis valedixit, domoque discessit. "Ego autem," hero Vantine dixi, "aequum censeo ut ad officinam regrediar; alioquin vicissim nostri ad decuriam recurrent ut me eruant. Hui!" exclamo horologiolo inspecto, "iam est post horam quartam."

"Ergo pro officina iam sero es," monet Vantine. "Rectius igitur feceris si mecum in diaetam ad libandum pocillum ascendes. Praeterea est etiam de quo tecum agere velim."

"Tamen nostros in officina certiores fieri cupio me usque in vivis esse," respondi illi, dein, appellatis meis officii sociis, nequid adversi mihi accidisse timerent, eos docui. Fateor tamen eorum sollicitudinem haud fuisse admodum gravem.

"Post tantas diei vicissitudines me quodam fulcimento egere sentio," fatur Vantine, dum interea cameram penuariam aperit. "Fac tibi prospice, sume quidquid velis, non enim vereor idgenus res tibi esse prorsus insuetas—"

"Nempe homines mortuos circum nos iacere?" leni quaero risu. "Non hoc—tamen ea res non est tam consueta ut opinari videris."

"Dic mihi, Lester," fatur serio me vultu contuitus, "tune revera putas misellum illum huc intrasse eo solo consilio ut se hic clanculum occideret?"

"Equidem id minime credo," respondi.

"Quid ergo huc venit?"

"Sententiam Goldberger enixe probo—famá tuae liberalitatis eum allectum, tuam opem flagitatum ad te venisse, et dum te praestolabatur spem eum deseruisse—"

"Sibique mortem adscivisse?" explet Vantine.

Coepi dubitare. Interea miratus reperi animum mihi sensim dubium irrepere.

"Ausculta modo, mi Lester," fatur Vantine serio, "fac eum non sese occidisse, quid tum ei accidit?"

"Dii soli norunt," spe relictus respondi. "Id a me ipso iterum iterumque quaesivi, quin responsum proprium reddere potuissem. Hoc idem respondi Goldberger, esse nos inter saxum et mare. Sed si quisquam par sit id perspiciendo, certe is Godfrey est."

Vantine ex imo videbatur motus animo. Semel iterumque perambulavit cubiculum, tum ante me constitit oculis in me defixis.

"Dic, sodes, mi Lester," inquit, "num sententiae Godfrey assentiris, fieri posse ut minutum illud in manu vulnus causa mortis esse possit?"

"Nonne absurdum esse videtur? At Godfrey ad divinandas istiusmodi res ingenio pollet."

"Ergo tu *credis*?"

Idem a me ipse quaesivi priusquam respondissem.

"Ita, sane, et ego credo," tandem fassus sum.

Dein Vantine fronte rugata, oculis demissis, iterum obambulare coepit.

"Lester mi," tandem fatur, "quaedam me suspitio tenet illum aliquo negotio, quod arcam Boulé respicere poterat, ad me visum venisse, nempe quam tibi iam memoravi. Haec fortasse eius erat."

"Id vix probabile putandum," negavi ego, "multo enim tenuioris videbatur sortis."

"Tamen nunc memini pagellam eius quum aspexeram cogitationem eius generis animo mihi obrepisse, et Vantine eum ob id per Parks exspectare iussisse."

"Fieri certe potest," fatebar. "Id tamen haud tolleret causam, quare animo concitatus fuisset. Et hac re admoneor," subiunxi, "remulcale me necdum misisse."

"Poteris vesperi commode. Cras mane id reddetur. Verum tu arcam nondum vidisti. Veni, descendamus visum."

Deorsum gradus se ducem praestitit. Parks nobis in fauce ima occurrit, et,

"Delecti relatorum foris te exspectant," inquit. "Nuntiant se te necessario convenire debere."

Vantine motu prodidit se invitum esse.

"Dic illis me omnino negare sive me, sive famulos meos, convenire eos velle," Vantine respondit. "Siquid scire velint, a decuria lictorum requirant."

"Ut iubes, mi Here," respondit Parks, aversusque dentibus albis ridebat.

Vantine progressus in conclave, in quo cadaver infortunati Franci repereramus, inde ingressus est cubiculum huic contiguum. Varia ibi erat supellex numero quinae aut senae, et ut aspectus rerum prodebat, modo tantum evasatae, atque, ignarus ut rerum istius generis eram, opus haud fuit ut me doceret quae arca Boulé esset, nam haec ita caeteras excellebat, ut Matrona quondam Montespan in aula Versalibus eminere, cunctisque dominari necesse erat.

Per aliquot momenta eam contemplabar, nam sine dubitatione opus id erat artis consummatae, opere intestinario infinito, crustoque testaceo ita tectum ac decoratum, ut paene fidem excederet. Tamen iam nunc ingenue fateri mihi licebit me id non tanti, quanti par erat, fecisse. Ratio ornandi florida aevi Ludovici Quartidecimi atque Quindecimi mihi nequaquam arridebat; praeterea etiam parum sum rerum callens ad ea admiranda, quae animum meum haud attingunt. Vereor itaque ne Vantine me aequo frigidiorem expertus sit.

Nihil vicissim frigoris in modo erat quo ipse arcam contemplabatur. Nam oculi eius insueto ac peregrino quodam fulgore admirantis micabant; digitis sursum deorsumque superficiem operis intestini ac testudinacei palpans, reverentia quadam pertractabat; forulos minutos gratia mei prorsus eadem vultús solemnitate eductabat, qua amicus quidam meus suum Kilmarnock Burns de pegmate depromere solet; clariores eius curvaturas manu mihi indicabat eadem curá qua uti solemus in disserendo de

opere, idque interpretando, artificis immortalis. Denique quum videret nulla a me responsa se elicere posse, substitit.

"Tu non magnopere videris hac re teneri," fatur me adspectans.

"Id meá, non arcae culpá fit," fateor ei. "Non sum ea re imbutus; et parum de artibus calleo, fortasse."

Vultu erubuit ut quispiam posset, cuius uxori aliquis se praesente malediceret, atque e cubili, me comitante, protinus excessit.

"Memineris, mi Lester," tandem severiori fatur voce, dum ansam ostii tenens paulisper morabatur, "nullam circa praestinandam illam pro me arcam tergiversationem intercedere debere. Mihi eam eripi ne siveris. Omnium maxime serio loquor."

"Eam tibi eripi non sinam," pollicebar illi. "Fortasse etiam proderit me non adeo captum ea re fuisse."

"Primum quam quidquam novi circa hanc rem resciveris, fac me illico certiorem," quibus dictis ostium pro me pandit.

Primum pedibus mihi domum ire in animo fuit; sed quum in Plateam diversus sursum ambulare inciperem, grex mihi obviam factus est puellarum ex officinis fabrilibus effusarum, quae in vicinia sitae erant. Aliquantum obluctari tentavi, postremo tamen nutu pilentum meritorium accersivi, et mox suspirio allevationis ducto, in pulvinari reclinavi. Iam gaudio mihi fuit vel e domo Vantine evasisse: aliquid enim ibi animum mihi obrutum tenebat, et universim male me habui. Miror utrum Vantine penitus apud se fuerit. Potestne quisquam sui esse compos, qui centum millia centussium ad praestinandum frustulum supellectilis erogare non dubitet? Praesertim homo qui tantum dispendium aequo animo vix

ferre possit. Statum et magnitudinem rei familiaris Vantine prorsus perspectam habui; at centum millia reditum eius annuum superaverunt. Tum etiam mecum subrisi. Utique Vantine, quum eos extremos limites erogationi statuit, iocabatur solum. Arca una decimá eius summae praestinari poterat, ad summum. Et usque ridebam quum pilento egressus aurigam exsolvi, et ad cubiculum meum ascendi.

[1] *Decentussus* = $10; *tessera argentaria*, pecunia chartacea; *quincentusses* = $5; *quinarius* Francicus = 1c, monetá Americaná.

[2] Id quod vulgo *tabaccum* vocatur.

[3] *Volvella* convolutum chartaceum est, quod nicotianá caesá referctum, fumatorum, praesertim iuvenilium, delectamentum est.

[4] *Remulcum*, rectius, *rymulcum*, idem atque *óra*, hoc est, funis vectorius navalis, hic autem, funis telegraphicus subaquaneus; *remulcare*, verbum inde deductum, sub mari telegraphema mittere. Institutum Romanis ignotum, verbum notum.

[5] Est currus ad vectandos aegrotos et mortuos.

[6] Locus est ubi cadavera pro tempore conduntur.

CAPUT IV

Fulmen.

Hora circiter octava demum evenit ut Godfrey ianuam meam leniter pulsaret, et quum eum admisissem e micantibus eius oculis facile hariolari poteram eum quaedam nova attulisse.

"Diu haud queo morari," fatur ipse. "Oportebit me in officinam properare, novaque perscripta parumper expolire." Attamen convolvulum [1] a me prolatum non recusavit, locumque in artisellio e regione mihi occupavit.

Habitus Godfrey novi, itaque moram patienter tuli dum convolvulum probe accensum adaptatumque sensi, tum—

"Ergo?" quaero eum.

"Nonne nunc, uti olim, mi Lester?" et in me renidebat. "Quotiesnam hoc in cubiculo ad consultandum convenimus? Quot convolvulorum iacturam tibi intuli?"

"Novissime ne dimidium quidem satis," respondi. "Hinc per menses abfuisti."

"Pro certo scivi me huc serius aut tardius recursurum, tibi enim fortuna favet, casusque optimi semper ad te confluunt. Atque, Lester mi, non dubito asseverare nullum prorsus omnium tam praeclare ominatum esse quam est iste

novissimus. Modo is perduret—nimium tamen sperare haud decet."

"Nullus dubito te huic eventui describendo fuisse intentum."

"Otiatus minime sum, et nunc iam incipio mecum contentus esse. Medicus mortuarii vix ante dimidiam horam examen medicum absolvit."

"Ergo?" verbum repeto.

"Stomachus omnibus numeris perfectus et illaesus repertus est. Prorsus nullum vestigium ullius veneni prodidit."

Tum pandiculans in sella reclinavit, fumum gyrantem versus lacunar efflavit, animoque vagus, subridens oculis fumum exsurgentem sequebatur.

"Bellum pro amico nostro Goldberger spectaculum," inquit post aliquantum morae.

"Quidnam rei est cum Goldberger? Nonne hoc postmeridiem aegre se erga te gessit?"

"Mirum non est. Ipse homo Grady est, nos autem Grady infensi sumus. Grady ad regendam decuriam agentum non valet—munere velut nepos Tammany potitus est—ipse bardus est, et ut suspicor, haud sincerus. *Record* edixit eum facessere oportere."

"Ergo absque dubio, et *facesset*," interpretatus sum ego.

"Nihil certius," probat Godfrey prorsus serio, "et hoc etiam mox. Interea tamen arduum opus mihi imminet, sui enim patroni nesciunt quorsum se vertant. Quum tamen semel elisus fuerit, cuncta iterum prosperabunt."

Quod de Grady nihil me attinebat, ad institutum nostrum reverti.

"Quin, Godfrey," eum appello, "Si venenum in causa non fuit, quid fuit?"

"At *fuit* venenum."

"Manuine iniectum?"

Capite annuit.

"At Goldberger ait nullum dari venenum quod ita adhiberi, tamque cito effectum sortiri queat."

"Recte quidem Goldberger," probat Godfrey; "est tamen venenum ignotum quod queat—factum probat."

"Ergo non morsus anguineus?"

"Nullo pacto; venenum anguineum non tam cito necat—ne trigonocephalus quidem. Misellus ille fere eodem loco ubi ictus erat concidit."

"Ecquid tum fuit?"

Godfrey iterum erectus sedebat. Iam non ridebat. Vultu erat admodum serio.

"Hoc ipsum est quod explorare pergo, mi Lester," inquit; "atque hoc est problema quod mihi ad solvendum praeposui—et bellum quidem. Unum dumtaxat est certum—homullus ille caesus est interventu extraneo, non suo. Gutta una, vel plus, veneni fuit ingesta sanguini eius ope ferramenti cuiusdam tamquam acus subcutaneae; atque venenum fuit tam virulentum, ut fere ictu oculi paralysin cordis induceret. Tamen hoc non adeo mirum est quam videri potest. Sanguis

enim e manu in cor quaternis quinisque minutis secundis recurrit."

"At tu iam dixisti venenum idgenus nullum dari, quod tam celeriter necaret."

"Nullum nobis notum esse dixi. Verum non tam certo mihi constat utrum
Catharinae de Medicis non fuerit."

"Quidnam habet Catharina de Medicis commune cum re ista?"

"Nihil—nisi quod antea quod factum est, fieri iterum possit," respondit ille. "Antiquae illae fabulae absque dubio fuerunt exaggeratae; tamen paene certum est reginam Navarrae manutiis venenatis fuisse exstinctam, Ducem Andinum odore rosae, Principem denique Portianum fumo venenatae lampadis. Casus vero hic nequaquam tantopere extra rerum ordinem putandus est."

"Sic profecto," probo ego in silentium relapsus tremens; est enim quid horribile ac reformidabile circa veneficos.

"Denique," prosequitur Godfrey, "est in hac re quod nec ego, nec tu, nec quisquam rationis compos credet, hunc nempe Francum, Diis notum unde—Parisiis fortasse—titulo Vantine obtento, domum eius exquisivisse, eo viam reperisse eo solo consilio ut illic sese occideret. Ipse aliud quid negotii habebat, et in eo exsequendo morte est affectus."

"Reperistine quis ipse fuerit?"

"Non reperi; nullo in diversorio nomen eius relatum est; consul Francicus ne fando quidem unquam de eo audivit; nullae societates Francicae sodalem eum agnoscunt; in centuria Francica fuit ignotus. Quasi e nubibus delapsus

esse videtur. Remulcavimus officinae nostrae Parisiacae, ut illi indagarent; hac vespera responsum exspectamus. Sed etiam siquis Theophilus d'Aurelle fuisset repereremus nihil nobis prodesset."

"Eccur?" quaero ab eo.

"Manifestum siquidem est id non suum nomen fuisse."

"Perge, mi Godfrey, narra ex ordine," dixi ei in me renidenti; "mihi enim non est clarum."

"Atqui satis liquet. Quinque pagellas in sacculo habebat, nullas pares.
Sextam, nullo fortasse delectu submisit Vantine."

Tum, utique, perspexi, nec aliter sensi quam doctus Hispanus videtur sensisse quum Columbus ovum in fundum statuisset. Hoc exemplo meo Godfrey iterum ridere coepit.

"Verus ille d'Aurelle, quiscunque is reperietur fuisse," subiungit ipse, "poterit nos iuvare. Sin aliter, decuria lictoria Parisiaca nobis succurret. Mensurae Bertillonianae hominis mortui remulco ei missae sunt. At ne hoc quidem iuvabit, si nunquam captus fuerit. Sed consilia eius ne tum quidem eruemus, donec aliquid de eo clare constiterit.

"At, mi Godfrey," rogo eum, "demus te scire quis is fuerit, quid negotii cum Vantine ei intercesserit—demus denique te recte divinare quis et cur occiderit eum—dic, sodes, quínam id factum sit. Hoc est quod me ludit. Quínam id factum est?"

"A!" refert Godfrey. "Hic est nervus rei! Quí id factum sit? Iam te monui bellum hunc esse casum, mi Lester. Exspecta paulisper dum Parisii eloquantur!"

"Hoc admoneor," inquam me erigens, "mihi quoque Parisios remulcandum esse negotio quodam ipsius Vantine."

"Eodemne isto negotio?"

"Non isto; institores eius illinc supellectilem ei, quae non sua est, permiserunt. Hunc errorem cum iis me componere iussit."

Pulso nolae puerum atriensem accersivi, albulam[2] remulcalem petivi, atque nuntium ad Armand & Filium misi eos de errore edocturus, nomenque domini arcae, quae modo apud Vantine est, ab iis postulavi. Dum ego huic rei operam dabam, Godfrey meditabundus fumansque sedebat oculis nihil cernentibus, et in inane fixis; sed quum ego iterum consederam, fumamque [3] ad colloquium prosequendum accenderam, somnia sua excussit, pileoque [4] sumpto in pedes se erexit.

"Me iterum natinari[5] oportet," fatur. "Hic sedere, theorematque texere plane nihil proderit donec tuta iaciamus fundamenta, quibus aliquid instruere possimus."

"Una saltem in re Goldberger non erravit," inquam. "Post tuum discessum ostendit nobis cuncta scelera non esse poesin, sed mera acta bellualia. Fortasse hoc—"

Telephonus me appellavit.

"Heus," respondi sublato auscultatorio.

"Tune is es, Here Lester?" quaerit vox.

"Ego sum."

"Hic Parks est," protinusque sensi vocem eius, quae tremula et rauca erat quodam animi impulsu, me non agnovisse.

"Here mi, possesne huc, in domum, extemplo venire?"

"Possum," respondi miratus, "si id magni referat. Herusne Vantine me vult?"

"Omnes te volumus!" refert vox, et in singultum erumpit. "Per Deos immortales, Here Lester, veni confestim."

"Bene," respondi sine ulteriori verbigeratione, intellexi enim eum iam nullo modo esse sui compotem. "Aliquid apud Vantine accidisse videtur," docebam Godfrey, ut auscultatorium appendi. "Parks paene extra se est, meque illico advenire flagitat," et sine mora sumo pileum laenamque[6] discessurus.

"Visne etiam ego tecum eam?" rogat Godfrey.

Pressus quidem ut eram rerum gravitate, risui temperare, audita quaestione, et modo eam ponendi, non poteram.

"Satius fortasse feceris," respondi. "Invitatio prorsus serio sonabat."

Tollenone[7] uná descendimus, ac tria minuta post digam[8] meritoriam intercepimus, et ortum versus, sub itinere, versus Plateam, ferebamur. Interea rorare coepit, ac bitumen pavimenti speculi nigri more micabat, luminibus in eo depictis huc et illuc vacillantibus. Viae prope erant inanes, quod theatrorum frequentiae iam dissipatae erant, sicque Plateam nacti, in eaque deorsum versi, digarius scintillarium suum adegit, nosque versus Quartamdecimam Viam ita ferebamur, ut celeritas mihi canonum urbis conditiones in mentem revocaret. Sed nullus lictor se ingessit, et sic quinque minutis post ante aedes Vantine appulsi constitimus.

Parks videbatur in fastigio graduum me opperiens stetisse, nam paene antequam diga nostra constitisset, ipse halitans decucurrit. Ope luminum Plateae vultum eius animadverti, dum digario tessellam[9] argentariam tradebam, ac fere me obstupefecit.

"Tune is es, mi Here Lester?" halitat ipse. "Dii te ament! Quam me delectat hic te videre—!"

Brachium eius contrectavi.

"Erige sis te mi homo!" solor eum. "Noli dilabi. Fare nunc—quid accidit?"

Omnium nervorum contentione se composuit.

"Iam tibi ostendam, mi Here," quibus verbis sursum gradus cucurrit, et per vestibulum ad fores conclavis, ubi cadaver Franci inveneramus, antecessit.

"En, illic, mi Here!" ait singultans. "Intra illic!" ipse autem parieti se applicuit, dum ego conclave ingressus sum.

Conclave luminibus erat collustratum, meique oculi pro momento occoecati splendore, primum nihil fere discernere poterant. Coecutiens vidi Godfrey proruere, seque in genua prosternere.

Tunc oculi mei claruerunt, vidique in ipso puncto loci, ubi d'Aurelle exspiraverat, alterum corpus—anne fuit idem, eodem quodam arcano modo repositum, ut tragoediam, postmeridiem ante oculos nostros actam, repaesentaremus?

Memini me proclinatum ut vultum eius contuerer—

Vultus erat Philippi Vantine.

Minutum temporis elabi oportebat dum ego ibi stabam attonitus et tremens. Conscius quodammodo fui Godfrey examen instituere. Tum vocem eius audivi:

"Mortuus ipse est!" inquit.

Tum pro momento silentium est factum.

"Cerne hoc, Lester!" acrem audivi vocem Godfrey et mandatoriam. "Per omnes Deos Deasque, aspice hoc!"

Godfrey genibus insistens aliquid sublatum tenebat.

"Cernedum istud!" iterum me inclamat.

Manum mortui sublatam ostentans tenebat; manus erat dextra; manus tumida et decolor. Eius in obverso, paullo supra digitorum iuncturas, duo minuta erant vulnera, e quibus paucae guttae sanguinis manabant.

Ut vero stupens contemplabar, spectaculum cadaverosum, vix propriis fisus oculis, vocem audivi semi-suffocatam pone me, iterum iterumque repetentem:

"Illa mulier est quae hoc patravit! Illa mulier patravit. Dii eam perdant! Illa mulier hoc fecit!"

[1] *Convolvulus*, praeter sensum consuetum apud Latinos modernos nicotianam significat in modum digiti convolutam, cuius accensi fumum exsugimus, sive *fumamus*.

[2] *Albula*, charta, cui nihil inscriptum est, sed ad inscribendum parata. *Album* Romanis notum.

[3] *Fumam* vocant Latini moderni vasculum, quod nicotianá referciunt, accendunt, fumumque per *sugibulum* exsugunt.

[4] *Pileus* tegumentum est capitis, plerumque e *coactili* factum.

[5] *Natinari, satagere*, esse negotiosum; est Romanum.

[6] *Laena*, tunica superior, levior.

[7] *Tolleno*, machinamentum, quod homines, vel onera, in sublime tollit, aut demittit; est Romanum.

[8] Romani duos equos iunctos *bigam*, tres, *trigam*, quatuor *quadrigam* appellarunt; ego currum, cui nulli equi iuncti sunt, ideoque quasi _de_iuncti existimantur, *digam* voco.— *Meritoriam*, hoc in sensu, est Romanum.

[9] *Tessella argentaria* vel *tessera*, ut supra (Cap. iii), est pecunia chartacea, quam argentariae evulgant.—*Argentaria* est taberna, cui pecunias nostras concredimus; Romanum est.

CAPUT V

Grady Operam Confert.

Quae dehinc gesta sint haud clare memini. Tanto me stringore afflictum sensi, ut vix satis virium colligere possem quo vel ad sellam propinquam me referre, ibique considere valerem, ubi sedendo oculis vagis atram rem in stragulo prostratam contemplabar. Persuadere mihi conabar me victimam esse larvae cuiusdam et ab incubone opprimi; haec omnia a propriis nervis meis, laboribus perstrictis induci, ac brevi me allevatum iri. Nullus revera dubito quin nimium laboris pertulerim; otio me egere ac recreatione; esto, iam dabo operam . . .

Et tamen per omne id tempus satis intellexi non larvam, non incubonem me premere, sed patentem claramque veritatem; Philippum Vantine esse extinctum—a muliere caesum. Quisnam id mihi dixit? Tum etiam memini vocem singultantem . . .

Bini aut terni aliqui in conclave venerunt—Parks et alii famuli, ni fallor; audivi vocem Godfrey mandata varia edentem; denique aliquis sublato ad labia mea poculo me bibere iussit. Eram tamquam automaton; inde tussire ac sputare, beneficum calorem percipere; tum iterum amplius bibi. Postea iterum vidi Godfrey mihi imminentem stare.

"Meliusne nunc te habes?" sciscitabatur.

Nutu capitis respondi.

"Nec miror te esse excussum tanto infortunio," pergit, "et ego aegre pedibus sto. Interim famulos medicum Vantine accersere iussi—sed ille nihil prodesse poterit."

"Reverane ipse mortuus est?" quaero mussans, oculis meis super contractam ac prostratam rem quiescentibus, quae paullo ante Philippus erat Vantine.

"Prorsus ita uti ille alter."

Tum coepi meminisse; prehenso igitur eius brachio, eum ad me detraxi.

"Godfrey mi," susurro ei, "cuiusnam vox illa fuit—aut somniavine—de quadam muliere?"

"Non somniavisti—is Rogers fuit—ipse fere insanit. Simul atque ad se rediverit, historiam eius eliciemus."

Interim aliquis eum prope ad ianuam sevocavit, dum ego solus relictus, oculis in inani vagabar. Fuitne ergo mulier in vitam Vantine implexa! Ea fortasse in causa fuit quare uxorem non duxisset. Miror quae foeda arcana in lucem protractanda sint!

Verum si mulier occiderit Vantine, eandem ipsam necesse est et d'Aurelle occidisse. Ubinam ipsa latuit? E quibusnam insidiis ictum intulit?

Circumspexi conclave, ut tremor me incesserat. Trepidus surrexi de sella, palpansque ad fores accessi. Godfrey me venientem audivit, circumvertit se, vultuque meo conspecto ad me venit, et brachio meo prehenso me fulsit.

"Quidnam te angit, Lester?" quaerit.

"Sustinere hic non possum," halitavi. "Nimium est horridum."

"Relaxa tuum animum! Prodi huc, sume alterum pocillum."

Eduxit me igitur in ambitum, atque oblatum alterum pocillum brisaei[1] me quodammodo mihi restituit. Pudebat me ignaviae meae, verum ubi vultum Godfrey conspexi, vidi quam et ille palleret.

"Fac et tu pocillo sumpto tibi consulas," eum monui.

Mox audivi obbam[2] super pocillo clangere.

"Non memini quo unquam tempore ipse ego sic efflictus fuerim," ait deposito pocillo inani. "Adeo ista res fuit taetra ita improvisa—et tum Rogers partem furentis agit. A, denique hic est medicus," subiungit, quum ostium panditur, et Parks medicum intromittit.

Doctorem Hughes utique novi, salutem illi nutu reddidi, atque cum eo et Godfrey in anterius intravi cubiculum. Verum ego necdum satis ad me redii, nec plus quam considere valebam eumque intueri, dum ipse genibus insistens cadaver inspexit, seque de morte hominis certiorem facere conabatur. Deinde audivi Godfrey ei cuncta quae sciebat narrare, dum Hughes dubitabundus auscultabat.

"At vero hoc absurdum est, ut satis scis," obtestatur medicus, postquam
Godfrey conticuit. "Res istiusmodi hic, Neo Eboraci, non fiunt.
Florentiae, Medio Aevo, fortasse; sed non hic, saeculo vicesimo!"

"Vix vel ego meis sensibus fidem habeo," assentitur Godfrey. "Verum hic vidi hodie postmeridiem Francum iacentem,

nunc vero hic est Vantine."

"Eodem loco?"

"Ipso sane eodem, tam accurata quam discernere queo."

"Caesus eodem modo?"

"Prorsus eodem modo caesus."

Reversus Hughes ad corpus, manum sauciam iterum magna cura contemplatus est.

"Quod genus ferramenti, te iudice, Here Godfrey, videtur hoc vulnus inflixisse?" coepit medicus quaestiones instituere.

"Ferramentum acutum cum duobus dentibus. Meo quidem iudicio denticuli tubulorum instar vacui sunt, velut acus subcutanea, atque in fundo vulnerum guttam, vel duas, reliquerunt veneni. Ut vides, vena est scissa.

"Video," ait Hughes. "Manus hic loci vix posset perfodi quin aliqua vena incideretur. Una vel altera denticulorum id certe faceret."

"Inde colligo quare duo sint denticuli instituti; nec me falli puto."

"At tu certe satis nosti nullum exsistere venenum quod tam cito necet?" quaerit Hughes.

Godfrey eum curiose contuetur.

"Vix pauca momenta ante ipse tu memoravisti Florentiam," monet eum. "Te innuisse existimo idgenus venenum illic olim exstitisse?"

"Aliquid eiusmodi, fortasse," assentitur Hughes. "Verba mea solum spontanea fuerunt, tamen cogitationes istiusmodi mentem meam percurrisse non negaverim."

"Aio igitur venenum, quod Florentiae quinque ex his saeculis exstiterat, hodie hic exstare. En eius rei argumentum;" et Godfrey cadaver manu indicavit.

Hughes profundum traxit spiritum e stupore horroreque genitum.

"Verum quod tartareum genus instrumentum illud vulnus intulit?" voce fere petili, nervisque paene solutis clamavit. "Praesertim autem quisnam id librat?"

His dictis circumspectabat conclave ac si explorare posse speraret magnam ac potentem manum ad feriendum levatam. Tandem tremens se composuit.

"Ignoscite," denique fatur, sudorem e fronte manantem extergens, "equidem rebus istiusmodi assuetus non sum; quin et metuo—revera, me perterritum sentio," leni risu, non plane hilari, subiunxit.

"Ita et ego," addit Godfrey; "ita et Lester; ita quisque alius. Nec te pudeat oportet."

"Arcanum rei est," pergit Hughes, qui suos animi affectus tentabat explicare, "quod mihi terrorem incutit—aliquid in ista re praeter naturam est—aliquo modo quod capere nequeam. Nam quí evenit ut victimarum uterque in manu recta ictus sit? Cur non in manu laeva? Cur in manu vel maxime?"

Godfrey desperans, vulsu humerorum respondit.

"Id potissimum est quod nobis solvendum erit," inquit.

"Necesse erit nobis lictores invocare," suadet Hughes. "Fortasse ii solvere valebunt."

Godfrey leni dubitantis risu represso respondit:

"Opportunitas saltem illis tribuenda est; visne id fieri curem?"

"Volo," inquit Hughes, "et hoc statim fieri iuvabit. Quo citius huc pervenerint, eo erit melius."

"Faciam sine mora," et his verbis e conclavi excessit.

Hughes in grabato, prope ad fenestram, gravi pondere consedit, frontemque sudantem manu tremula iterum detersit. Mortuis tractandis ipse tam erat assuetus—sed morte decora sublatis, morte in lecto, aut vero e quacunque causa iusta et probe intellecta provenienti. Verum mors, hac in terrifica et arcana specie, trepidatione eum perculit; causam mortis idgenus capere non poterat, et ob id attonitus stupuit. Ipse medicus erat, suumque fuit res tales intelligere; et tamen ecce casum mortis, qui ipsius peritiam ratione causae ita elusit, quam cuiuscunque e trivio. Eventum tam praeter ordinem eum ad propriam scientiam addubitandam, examinique substernendam adegit—quod quidem optimum quemque nostrum confunderet.

Dimidia ista hora certe erat acerba. Hughes usque in grabato sedebat graviter spirans, oculis in solum fixis, fortasse propriam inscitiam meditatus, fortasse dubiis vexatus, utrum rectene hactenus semper an perperam hoc vel illud aegris praescripsisset. Quod quidem ad me attinet, ego de amico meo morte sublato meditabar. Memoriá tenebam Philippum Vantine, ut mihi semper fuit cognitus—virum nempe comem, lepidum, vere Christianum. Reputabam mecum suaves eius oculos, ut me, etiam paucis ab hinc horis, amice contueri consueverint; audire mihi

videbar vocem eius, palpare manus mihi porrectas. Ut vir tantus et talis hunc in modum interimi, feriri a secreto sicario, armato telo venenato.

Mulier! Mens mea continuo ad hanc rem recurrit. Mulier! Venenum semper mulierum fuit telum. Sed quaenam illa? Et quí evasit? Ubinam delituit? Quonam modo valuit tam accurate ferire? Ac praeprimis quamnam ob rem Philippum Vantine prae omnibus suam victimam selegerit—Philippum Vantine, qui nullam unquam mulierem vilipenderat—tum pausam feci. Perspexi enim me revera, praeterquam quod ipsi placuit mihi enuntiare, de Vantine nihil novi. Parks sciet. Tum iterum cogitati me pudere coepit. Num illud secretum nobis eruendum erit? Num ille ad prodendum suum herum adigendus erit?

Vultus meus rubore flagrabat. Nullo pacto; id non faciemus—id turpissimum esset.

Foribus apertis Godfrey intrabat. Nunc iam non erat solus. Simmonds et Goldberger eum comitabantur, quorum vultus prodebant eos haud minus quam me agitatos ac dubios esse. Etiam tertius quis cum iis erat, quem ego non noram; sed mox intellexi eum Freylinghuisen, medicum mortuarii esse.

Hi omnes cadaver inspexerunt, Freylinghuisen autem genibus fultus manum sauciam inspiciebat; tum iuxta doctorem Hughes consedit, et paullo post eos submissa voce colloqui audivimus cuius disceptationis materiam substratam facile coniectare poteramus. Ego et id facile hariolari poteram de qua re Godfrey et Goldberger in ulteriori angulo disseruerint; attamen minus hariolari quibam quare Goldberger, loco aliquid agendi, sursum deorsumque in conclavi ambularet, mystacesque torsitaret sollicite, et horologiolum semel iterumque aspectaret.

Aliquem exspectare videbatur, sed non ante intellexi quam viginti minuta post, quis is esset. Foribus tunc apertis vir quidam intromissus est humilioris staturae, vultu rubente, spissis strictimque putatis mystacibus, oculis residentibus, praeterque consuetudinem micantibus. Ingressus conclave circumspexit et capitis nutu Goldberger consalutato, quaerebundus me aspexit.

"En hic tibi sisto Herum Lester; Delectus Lictorius Grady," fatur Goldberger, quum denique intellexi administrum ipsum a decuria agentum advenisse, ut casum totum sua in persona administraret.

"Herus Lester, consultor iuris heri Vantine," subiunxit in explicationem mortuarius.

"Te, mi Here Lester, novisse gaudeo," dixit paucis Grady.

"Nunc autem," fatur mortuarius, "ad rem occipiendam parati sumus."

"Necdum," negat minus civiliter Grady. "Primum relatoribus facultatem faciemus recedendi," fatur Grady, transpectando in Godfrey, e regione sedentem, cuius vultus obnubilare coepit.

Ipse et ego rubore perfundebar, iamiamque obtestabar, sed Godfrey gestu ut silerem me permovit.

"Valet, mi Lester," inquit Godfrey, "Herus Grady iure utitur suo.
Discedam—usque dum ipse me invocaverit."

"Diu tum exspectabis," risu sarcastico regerit Grady.

"Quo diutius exspectavero, hoc erit pro te, Here Grady, deterius," quiete refert Godfrey, tum pandit ostium, excedit,

clauditque pone se.

Grady coccineo rubore stupens post eum respectabat paululum, dein se composito haud facili nisu, se denique ad mortuarium convertit.

"Omnia rite constituta sunt, Here Goldberger," fatur, tandem, et ad processum observandum consedit.

Mihi, doctoribusque Hughes et Freylinghuisen pauca suffecerunt minuta ad cuncta quae de hac priorique tragoedia scivimus evolvenda. Grady iam ad minuta tenere videbatur omnia quae ad mortem d'Aurelle spectabant, nam, nisi quod subinde capite annuit, relata excepit quin nos interpellaret.

"Nonne, Here Simmonds, habes elenchum omnium in hac domo famulorum?" quaerit ab eo post relata finita.

"Habeo," refert ille, et elenchum illi tradidit.

"Hem," mussat ipse elencho viso. "Quini eorum. Quidquamne tibi de iis notum?"

"Hi cuncti multos annos apud herum Vantine exegerunt, mi Here," respondit Simmonds. "Quantum mihi constat, omnes sunt bene morati."

"Quisnam eorum reperit cadaver Vantine?"

"Parks, ut puto," respondi ego; "etiam ipse me accersivit."

"Satius erit eum citare," inquit Grady, dum interea elenchum plicatum in sacculum condidit.

Parks intravit non parum haesitabundus; sed quaestionibus Grady clare et compositus respondit. Primum quae post

meridiem evenerant narravit, dein ad eventus vespertinos evolvendos perrexit.

"Herus Vantine coenam domi sumpsit, mi Here," narrat Parks. "Si recte memini, dapinatum est horá septimá. Finivit paullo post horam septimam cum dimidio. Ego eum non vidi, quoniam in cubiculo eius eram occupatus res varias, uti et vestes eius disponendo. Sed ipse iubebat Rogers—"

"Nihil ad te quid ipse Rogers iusserat," incidit Grady. "Id tantum narra quod tu scis."

"Etiam bene, mi Here," refert Parks mansuete. "Copiosis detinebar agendis—quod, ut scis, heri ex Europa redivimus—itaque prosequebar opus res recondendi, et quaeque ad sua loca disponendi, donec iam octavam cum dimidio praeterivisse oportebat, quum Rogers me vocantem audivi. Domum flagrare autumabam, proin celeriter descendi. Illic stabat Rogers in ambitu, velut qui spectrum viderat. Ipse gravius spirabat, et versus hunc locum digitum porrigebat, ego introspexi, vidique herum Vantine hic iacentem—"

Vox eius in fauce haerebat, tamen post pausam effecit ut paulatim prosequi posset.

"Tunc per telephonum accersivi herum Lester," subdidit, "et haec est summa omnium quae scio."

"Satis est," ait Grady. "Haec pro praesenti sufficient. Mitte Rogers intro."

Vultus Rogers conclave intrantis stringore quodam me affecit, quod hominem fere efflictum prodebat. Homo ipse erat annorum circiter quinquagenúm, iam canester, vultu raso, plerumque e bona valetudine rubicundo. At nunc facies sua erat livida, genae sulcatae ac depressae, oculi sanguine suffusi et haesitantes. Intra conclave potius

volvebatur quam itabat, atque una manu, acsi suffocari timeret, gulam premebat.

"Praebe illi sellam!" iubet Grady, atque Simmonds protulit unam, illi supposuit, ipseque iuxta eam constitit. "Nunc, mi homo," pergit Grady, "fac ut te componas. Interim tamen, quid rei sit eloquere! Numquamne antea hominem mortuum vidisti?"

"Id nequaquam refert," halitat Rogers. "Id nihil est—quamquam hominem caesum antehac vidi nunquam."

"Quid?" acriter quaerit Grady. "Num illum alium hoc postmeridiem non vidisti?"

"Ea alia res est," gemit Rogers. "Eum non novi. Caeterum et iam putavi eum sese occidisse. Omnes ita putavimus."

"Atqui Vantine idem fecisse non putas?"

"Scio eum id non fecisse," ait Rogers, dum vox sua in petilem exsurgebat vagitum. "Illa mulier id fecit. Dii eam perdant. Ipsa id patravit! Sciebam eam tale quid scelesti moliri quum eam intromiseram!"

[1] *Brisaeum* voco temetum, e *brisa*, destillatum. *Brisa* autem est id, quod ex uvis expressis superest. Vapores brisae igni subictae, in retortis tubis sub aqua refrigerati vasculis guttatim excipiuntur, vocanturque *spiritus*; qui si e brisa sit, vocabitur *brisaeus*; si e vino, vel potius e *faece* vini, *vinaceus*; si e secali, *secálinus*, potus Anglis gratissimus, et sic deinceps. Medici Anglici *spiritum frumenti* inepte appellant, Germani autem aeque inepte *vinum ustum*, nisi Germani vinum *urant*, nos coquimus, aut destillamus. Vinaceum Franci de nomine urbis suae *Conaci* appellant.

[2] Est lagena aquaria vitrea.

CAPUT VI

Mulier in Causa.

Iam coepit prodire; secretum quamlibet sordidum, quamvis turpe, revelandum erat. Vidi vultum Grady torvis lineamentis compositum; audire erat fremitus caeterorum, ut audirent prorsum enitentium.

Grady e sacculo lagenulam protulit, eamque aperuit.

"Sume sis haustum ex hoc," affatur Rogers, eamque illi in manus tradit.

Satis clare audivi lagenulam dentibus eius allidi, ut eam ori suo avide applicuit, atque ternos aut quaternos sumpsit haustus.

"Gratias, mi Here," retulit Rogers dum lagenulam domino restituit. Vultus aliquantum coloris induere coepit; animadvertere tamen putabam alium modo in oculis eius esse obtutum—nam in locum horroris timor successit.

Interim Grady capsulam orificii lagenulae non sine magna cura cochleatim intorsit, ipsamque sacculo recondidit. Rogers tamen toto hoc tempore eum furtim observabat, subinde os suum, automati instar, tremula manu tersitabat.

"Nunc itaque, Rogers," incipit Grady, "sumere tibi otium te volo, et cuncta minutatim edisserere quae hic hac vespera

evenerunt. Tu enim asseruisti mulierem istam rem patravisse. Perge igitur, memento tamen satis otii tibi suppetere."

"Itaque, mi Here," fari pergit Rogers tractim, veluti qui verba sua caute ponderat, "herus Vantine post coenam, circa horam septimam cum dimidio prodivit—fortasse etiam paullo tardius—meque hic et in cubiculo contiguo cuncta lumina accendere iussit. Ut vides hic lumina sunt spiritus anthracini[1] et electrica; ego cuncta accendi. Ipse interea in musicarium,[2] ad adversum ambitús intravit. Post lumina accensa et ego intravi significavique lumina esse accensa. Eum imaginem, quam modo emerat, spectantem reperi, sed ea protinus missa, huc in ambitum prodivit.

"'Nolo turbari, Rogers,'" mihi dixit, ac protinus huc intravit, foresque post se clausit.

"Fortasse vicena minuta post nola ostii continnivit, ego ostium aperui, vidique mulierem in fastigio gradús stantem."

Rogers paululum conticuit, ac semel iterumque glutivit, acsi faux illi arida esset, vidique digitos eius nervose convelli.

"Novistine eam?" quaerit Grady.

Rogers collare suum vellicando solvere nervose satagebat.

"Non ego, mi Here, nunquam eam antea vidi," rauce respondit.

"Describe sis eam."

Rogers clausit oculos acsi memoriam recolligere vellet.

"Ipsa spissam ricam[3] gerebat, mi Here, ideo nec satis accurate eam vidi; primum tamen quod mihi praesertim

innotuit, oculi erant—et hi ardere, meque plane penetrare parebant. Facies pone velum candicabat, satisque vidi labia rubere—aspectum eius, mi Here, inde ab initio aspernabar."

"Quí erat induta?"

"Atrá stolá, tam parum quadratá[4] ut illico animadverterem antequam locuta esset Francam eam esse."

"A," miratus ait Grady, "ipsa igitur Franca erat!"

"Ita, sane; tamen paululum etiam Anglice callebat. Herum Vantine paucis volebat. Docui eam herum Vantine negotiis detineri. Tum aliquid celeri lingua de necessitate dictitabat herum Vantine conveniendi, interea tamen non cessavit se per ostium me invito insinuare, donec stupens animadverti eam iam intra vestibulum esse, quum demum uno pulsu valvam [5] mihi eripuit, eamque clausit. Num, Here, hunc agendi modum matronae esse arbitraris?"

"Minimeque equidem ita dixerim," assentitur Grady. "Verum, perge, scitoque tempus nos non urgere."

Rogers interim in sua rediit, et iam fere volubili sermone disserebat.

"'Attende, rogo, mea matrona,' inquam, 'satis nos hic discrimine hodie distracti eramus Franciculis, proin si non confestim te hinc auferes pacate, iam faxo ut eiiciare.'

"'Oportet me herom Vangtine convenire,' instat illa celeri lingua.
'Herom Vangtine necessario convenire debeo. Omnino eum convenire debeo.'

"'Ego vero te hinc necessario exigam,' dixi illi, brachiumque eius prehendi. Ad haec ipsa eiulare, seque mihi e manibus

eripere coepit; sed ego eam iterum prehendi, sed eodem momento herus Vantine pandit fores, et in ambitum egressus est.

"'Quid haec omnia sibi volunt, Rogers?' quaerit herus. 'Quid mulieris ista est?'

"Priusquam tamen ego respondere poteram, fera illa felis iam ad eum convolavit, longamque loquelae Francicae scatebram profundere coepit, ut mirarer, quí vel spiritum ducere potuisset. Atque herus Vantine primum stupens loquelam eius excipit, tum favore quodam audivit, et denique huc eam intro invitavit, foresque post se clausit, ac nihil amplius de ipsis vidi."

"Num significare vis te mulierem non foras emisisse?" quaerit Grady.

"Hoc ipsum significo. Si hero Vantine placuit cum illa colloqui, erat bene; suam rem agebat, non meam; proinde redivi in penuariam,[6] ut cocae in repurgandis instrumentis cibariis auxilio essem, quoque momento tintinnabulo audiendo paratus. At non tinniit, itaque circiter dimidia hora post iterum exivi in ambitum ut testis discedentis mulieris essem; atque praeterivi fores huius conclavis, sed audivi nihil; tum processi ad ostium, quod magno meo stupore pessulatum non esse reperi."

"Tu fortasse pessulum obdere ipse neglexisti," ait Grady.

"Ostium será recidivá est instructum, mi Here; quum mulier impulsu adegit valvam, sera clausa est, audivi recidere."

"Certusne de ea re es?"

"De nihilo certior, mi Here."

"Quid postmodum egisti?"

"Observavi ostium, pessulum obdidi, ac per ambitum retro ambulare coepi. Quodam tamen modo sollicitum anxiumque me sensi, prohinc ante fores constiti et auscultare coepi, sed nihil audivi; tum leniter pulsavi, sed responsum nullum tuli; dein elatius pulsavi, dum cor mihi surrigi et in faucem subsultare minitabatur. Ast usque nullum accepi responsum, ac tum demum nihil pensi faciens fores aperui et introspexi —ac primum quod mihi sub oculos cecidit, ipse erat—"

Rogers subito conticuit, iterumque gulam suam palpavit.

"Iam brevi valebo, Here," ait gravi halitu. "Id me subinde opprimit."

"Nihil urget," solatur eum Grady, et quum meatus spiritús allevatus est, "Narra, sodes, quid tum fecisti?"

"Tantopere pavitavi, mi Here, ut vix pedibus consistere valerem; tamen ad imum gradum magno conatu perveni, et Parks inclamavi, qui protinus currens descendit—et hoc totum est quantum memini, mi Here."

"Mulier non hic interfuit?"

"Minime."

"Perquisivistine penetralia?"

"Non feci; quandoquidem ostium non obpessulatum reperi, satis scivi eam discessisse. Ostium ipsa non impulit, verita ne ego audirem."

"Hoc quidem verosimile sonat," probat Grady. "At quid te inducit ad credendum eam heri Vantine necem intulisse?"

"Hem, mi Here," Rogers tractim respondet, "iam fateor me non oportuisse id asseverare; verum ostio ita reperto, dein sic invento hero Vantine, me quodammodo supplantatum sensi—non revera sciebam quid tum loquerer.

"Iamne non idem nunc sentis?" acriter quaerit Grady.

"Nescio, mi Here, quid cogitem."

"Tu asseverasti te eam mulierem antea nunquam vidisse?"

"Nunquam vidi."

"Unquamne ea hic antea fuit?"

"Non, quantum ego sciam. Primum enim quaesivit utrum herus Vantine hac in domo habitaret."

Grady capite annuit.

"Optime factum, Rogers," inquit. "Proxime locum tibi in cohorte nostra lictoria assignabo. Agnosceresne mulierem si eam iterum videres?"

Rogers respondere dubitabat.

"Nollem pro certo affirmare, Here," respondit denique. "Fortasse possem, fortasse non."

"Rubra labella, facies candida, micantesque oculi haud tuta sunt indicia sequenda," monet Grady. "Numquid accuratius eam describere non posses?"

"Vereor ut possim, Here. Nihil nisi generalia indicia de lineamentis mulieris perspicere poteram."

"Tu etiam fateris te ista cubicula non exploravisse?"

"Non feci, non enim intravi ianuam."

"Cur non?"

"Metui."

"Metuisti?"

"Sane, mi Here, etiamnum metuo hic esse."

"Parksne huc intravit?"

"Non fecit; eum haud aliter quam me sentire puto."

"Quínam tum scivisti Vantine mortuum esse? Cur non tentavisti illi succurrere?"

"Intuitus satis sufficiebat ad intelligendum opem nulli fore usui," respondit Rogers, respiciens in rem convulsam in solo iacentem, non sine manifesto horrore.

Grady eum pro momento acri obtutu conspexit, sed nulla subesse causa videbatur quare narrationem hominis in dubium vocaret. Dein Delectus Lictorius in conclavi circumspexit.

"Est hic aliquid quod capere nequeo," dein fatur, "et hoc est, quid
Vantine cunctis his luminibus indiguerit. Quidnam ipse hic agitabat."

"Pro certe scire, mi Here, utique non possum; attamen existimo eum congeriem variarum quas ex Europa importaverat supellectilium aspectabat. Ut tibi cognitum, ipse conquisitor callens harum rerum fuit. Sunt quinque aut sex eiusmodi res in cubiculo proximo."

Sine verbo Grady surrexit, transivitque in cubiculum contiguum, nos vero post eum; Rogers tantum remansit ubi sederat. Memini me per humerum respexisse vidisseque quam ipse sese in sella conglobaverit, acsi grande quoddam onus eum oppressisset quamprimum nos terga verteramus.

Memoria Rogers tamen mihi in conspectu rerum ante nos positarum cito excidit.

Cubiculum interius splendore luminum erat perfusum, supellex autem sine ordine erat disiecta, prorsus ut ego antea hodie videram. Una tantum res erat loco suo dimota, ea autem erat arca Boulé.

Haec ad medium usque cubiculum erat promota, et in plenissimum fulgorem luminum candelabri collocata. Illic ea stabat radians sua arroganti pulchritudine, prorsus res per se sola.

Quisnam adiuvit Vantine in eum locum arcam movendo? quaerebam ab ipso me miratus. Nec Parks nec Rogers memorarunt se id fecisse. Hinc me retro in conclave converti.

Rogers usque in sella sedebat contractus et prorsum inclinans, vultu palmis obtecto, et quum eum in humero attrectavi nervoso motu eum contremuisse sensi.

"O, tune is es, mi Here Lester?" quaerit profundo spiritu. "Ignosce mihi, iam nec sum ipse ego."

"Perspicio," respondi illi leniter, animum eius demulcens, "nec miror. Quaerere tantum volebam—tune ullam supellectilem in eo cubiculo movere iuvisti?"

"Anne movere iuverim, mi Here?"

"Mutare scillicet locum hoc postmeridiem ullius supellectilis?"

"Non ego; ne ullam quidem earum rerum, mi Here, attrectavi."

"Bene igitur est," respondi, retroque in alterum vertor cubiculum.

Vantine mihi ipse memoravit se primo quoque tempore opportuno arcam exploraturum ad minutas partes; memini etiam quemadmodum oculi sibi arcam aspectando refulsissent; quemadmodum manus sibi opus musivum mulcendo tremuissent. Nullum igitur esse potest dubium quin huic explorationi fuerit intentus quum clamorem mulieris audiverit, et in ambitum, quid ibi ageretur compertum, exiverit.

Tum ipse cum muliere anticum intravit cubiculum; ipse fores clausit, ac tum . . .

Animum meum, causam caedis atque explicationem quaerentem extemplo subiit, sed ut ineptam et absurdam dimisi.

In acerrimo ad me compescendum mecum luctamine manibus a tergo strictis, et, ceu fascinio venenosi colubri rigens, steti, oculis patulis in arcam defixis; etenim certum existimavi aditum ad mysterium illic delitescere.

[1] *Anthrax, -acis*, m., adiectivum, *anthrácinus, -a, -um*, vocabula Graeco-Latina a Romanis (Varro, Vitruvius) paullo diverso sensu usurpata Graecis tamen *carbonem* et *carbonaceum* significant. Quum tamen *carbo* lignum ustum sit Graeco vocabulo Latini moderni lapides fossiles nigros

significant, quibus in furnis fornacibusque urendis ad calefaciendum utimur. Multi, etiam accuratius *lithanthracem* eandem rem vocant. Ea eadem materia excocta *spiritus* prodit, qui accensus, lumen profundit. Hunc spiritum vocamus *anthrácinum*, vel *lithantrácinum*.

[2] Subaudi *cubiculum*.

[3] Est genus *veli*, quo mulieres vultum tegunt.

[4] *Quadrare*, proprie, est efficere ut aliquid quatuor angulos habeat; ulterius dicitur de quacunque re, praesertim de veste, quae nec largior, nec arctior est quam esse convenit.

[5] Ostia (portae, ianuae) nonnunquam e duobus dimidiis constant; utrumque dimidium vocatur *valva*.

[6] Subaudi *cameram*.

CAPUT VII

Rogers Percellitur.

Grady, Simmonds et Goldberger interea cubiculum isthoc accuratius exploraverunt, animos enim eorum suspitio subire coepit secretum huius tragoediae alicubi intra quatuor huius muros delitescere; verum ego eos minus sollicite observavi, quod animus mihi circa eam rem languescere coepit. Persuasum etiam mihi erat eos ad revelandum arcanum necquidquam reperturos. Etiam audivi Grady dicentem nullam aliam esse ianuam nisi eam quae hoc cubiculum cum altero iungat, et etiam uncos fenestrarum eos vestigare vidi.

"Has fenestras nemo levaverit quin totam concitet domum," ait Grady, digito indicans tortilia,[1] postes fenestrarum comitantia. "Suscitabula sunt praedonia."[2]

Sic itaque certior factus se ibi nihil amplius reperire posse, Simmonds cum caeteris in anticum recessit cubiculum.

"Nunc vero," Grady allocutus Rogers, "caeteram domum vellemus explorare." Hic interea in sella iterum erectus, sibique restitutus, sedebat. Proinde omnes hi viri simul in ambitum prodiverunt. Ipse ego cum medicis Hughes et Freylinghuisen in conclavi permansi. Hi duo interim cadaver sublevarunt, et in grabatum collocarunt, navo et accuratiori

instituto examine. Ego corde gravi consedi eosque consultantes observavi.

Ludibrio fortunae attribuendum putavi ut Philippus Vantine victima moreretur ardoris sui erga has res flagrantis, e quibus tantam animi voluptatem percipere solebat; et tamen hanc fuisse veram suae mortis causam mihi sensim persuadere coepi. Negandum quidem non erat varios incidisse eventus qui huic conceptui ac theoriae repugnare viderentur, atque theoria ipsa paene efferata et absurda iudicari posset; tamen ea ceu radius luminis claritatem in tenebris diffundere quis negaverit? Hanc cogitationem in animo meo iterum iterumque revolvitavi eo consilio ut eventus diei in concordiam conciliarem—fateor tamen haud cum uberrimo fructu. Denique vox Freylinghuisen me e somniis meis evocavit.

"Uterque casus," inquit, "prorsus est idem. Indicia omnino sunt eadem. Certo scio futurum ut paralysin cordis medullaeque spinae dorsi hoc in casu reperturi simus, ut in altero reperimus. Uterque eodem veneno est extinctus."

"Vellesne circa naturam veneni opinionem periclitari?" collega Hughes quaerebat.

"Quaedam species acidi hydrocyanici est, ut puto—id enim odor prodit; sed quinquagies virulentior existimanda quam acidum hydrocyanicum."

Deinceps in disceptationem de probabilibus eius acidi speciebus descenderunt, sermo tamen eorum terminis technicis ita abstrusis scatere coepit, ut sensum colloquii eorum assequi non possem. Freylinghuisen has res utique in promptu habebat—examina siquidem 'post mortem' victus eius erat quotidianus, nec dubitandum est quin exinde a novissimo casu suo in hanc inquisitionem se accingens,

quippe in quo enitére satagebat, si etiam e rubigine memoriae laboravisset, se exterserit. Licebat mihi animadvertere eum ex ostentatione suae coram Hughes peritiae haud parum oblectamenti percepisse, qui quidem ex exercitanda apud familias locupletum mediciná illustris proventum sibi comparare solebat longe fructuosiorem quam quo Freylinghuisen par erat, toxicologiae haudquaquam esse poterat ita peritus ut medicus mortuarii.

Medicis usque disceptantibus duo speculatores et mortuarius reversi sunt, atque Doctoris Freylinghuisen explicationem casús silentes auscultaverunt. Vultus Grady fuscus prorsus nihil prodebat quid sibi in animo versaretur, sed Simmonds plane conturbatus esse videbatur. Satis etiam clare ex aspectu eius constabat nihil repertum fuisse quod arcano lumen affundere posset; atque nunc, ubi sua de suicidio coniectura concussa iacéret, in invia se deductum sensit. Idem de Grady existimavi, verum ipse ita sibi temperare par erat, ut nihil omnino proderet.

Mortuarius duos medicos paucis sevocavit, et cum iis voce submissa colloquebatur. Tum ad Grady se convertit:

"Doctor Freylinghuisen asserit examine 'post mortem' opus non esse," inquit. "Indicia mortis omni numero eadem esse cum indiciis mortis alterius hominis, qui post meridiem hic occisus est. Utrumque eodem genere mortis sublatum esse in dubium revocari non posse. Item ad relationem eiusdem tenoris perscribendam se paratum esse ait."

"Bene res se habet," probat Grady. "Poterit itaque cadaver cognatis tradi."

"Nulli sunt cognati," interpello ego; "saltem consanguinei nulli. Vantine suae prosapiae fuit ultimus. Casu teneo nostrum consortium exsecutorem sui esse testamenti,

proinde, si nihil obstet, bonorum omnium administrationem suscipiam."

"Placet, Here Lester," iterum probat Grady, ac me contuitus, "Notaene tibi sunt leges testamenti?" quaerit.

"Sunt notae."

"Ex obtutu harum conditionum quemquamne cognovisti cui Vantine mors beneficio esse posset?"

"Licere mihi arbitror tibi has leges revelare," respondi illi post pauca momenta. "Demptis paucis legatis pro suis famulis, cuncta sua bona Museo Metropolitano relicta sunt."

"Per longiusne tempus illi consultor fuisti?"

"Per multos annos iurium consultores ei fuimus."

"Unquamne audivisti illi quemquam infensum fuisse?"

"Nunquam," absque mora illi respondi; "quantum ego sciam, nemo quisquam inter mortales illi infensus fuit."

"Ut credo, ipse uxorem nunquam duxit?"

"Nunquam."

"Quantum tibi cognitum, fuitne unquam cum muliere implicatus?"

"Nunquam," repetivi. "Mirabar admodum quum fabulam Rogers audivi."

"Tu ergo, quae illa mulier fuerit ne suspicari quidem potes?"

"Utinam possem, peropto," respondi e corde.

"Habeo tibi gratiam, Here Lester," quibus dictis Grady se ad Simmonds convertit. "Equidem," inquit, "nihil amplius hic percipio quod agere possimus." Tum subiunxit: "Unum tamen est, mi Here Lester, quod te rogatum esse vellem. Velis nempe famulos cunctos hic servare usque post finitam inquisitionem. Si putares aliquid obesse quo id minus facere posses, ius utique nobis est eos detinere—"

"Id minime expedire puto," refero ego. "Eorum ad inquisitionem sistendorum ipse me vadem praestabo."

"Inquisitionem oportebit me unum diem prorogare," ait Goldberger. "Consultum etenim duxi ut Doctor Freylinghuisen cras eius rei experimenta institueret. Praeterea et ostendendum nobis erit quis d'Aurelle fuerit, his autem viris munus praestitutum esse videtur mulierem illam reperiendi—"

Grady oculos suos in Goldberger coniecit velut qui sibi nimium garrire videbatur, quo perspecto mortuarius protinus conticuit. Post haec isti quatuor parum in domo morati, illinc discesserunt.

Doctor Hughes ad pauca dicenda superstitavit.

"Satius erit libitinarium[3] confestim advocare," inquit, "ratum non est rem diu differre."

Statim intellexi quo haec facerent. Iam enim vultus maculas decolores ac foedas exhibere coepit.

"Si ita libeat" inquit, "ego sub itinere domum huc eum mittere potero."
Pro ista eius humanitate ei gratias egi.

Ostio post eum clauso sonitum pedum in gradibus audivi, conspexique

Godfrey aequo animo descendentem.

"Pauca ante minuta huc intravi," fatur Godfrey in explicationem, quum me mirantem conspexit, "atque in diaeta circumspexi. Ibi nihil est. Quam scite administravit res noster Grady?"

"Satis scite; sed si quidquam divinavit, vultus eius certe non prodidit."

"Vultus eius nunquam quidquam prodit, quia quod prodat habet nihil. Hunc contuitum Sibyllinum diu exercuit, usque dum vulgus mirum eum iudicaret. Revera tamen ipse bucco bardus et inscius est."

"O, tu, Godfrey, nugaris," obtestabar, "tu eum praeiudicas. Ipse certe ad rerum radices penetravit. Age, scisne fabulam Rogers?"

"De illa muliere? Profecto. Rogers mihi eam ante adventum Grady retulit."

"Te, Hercle, nullum amisisse tempus puto," iocor cum eo.

"Id nunquam facere solitus sum," ait blande. "Nunc autem probabo tibi Grady bucconem et obesae esse naris. Ipse iam totum audivit testimonium; numquid tamen scit quae ea mulier fuerit?"

"Utique nescit," respondi ei oculis in eum levatis. "Num tu id scire innuere vis? Tum et ego bucco sum!"

"Mi bone Lester," obtestatur Godfrey, "tu agens non es—id non tui negotii est; at Grady est; aut saltem ita putatur; atque securitas huius urbis, ut loci habitationis, magna ex parte e veritate huius propositi pendet. Virtute huius

opinionis factus ipse est vicarius delectus decuriae lictoriae, itaque praefectus officii."

"Tu itaque innuere vis te *scire* quae illa fuerit?"

"Satis certe me scire mihi videor—et ad id probandum redii. Ubi est
Rogers?"

"Si vis, nolam pulsabo, eumque advocabo," inquam, quod et feci, et ipse mox advenit.

"Pulsavistine nolam, mi Here?" quaerit ipse.

Rogers usque e nervis laborabat, plus tamen sui compos erat quam antea, tempore postmeridiano.

"Pulsavi," illi respondi, "herus Godfrey tecum colloqui cupit."

Animadvertere arbitrabar eum sensim expalluisse; certe metus in contuitu suo quo amicum meum aspiciebat discerni poterat. Sed Godfrey, de sua re certus, leniter subridebat.

"Satius fortasse esset sua erga relatores munia edocere, nonne putas, mi
Lester?"

"Erga quos relatores?" quaero ego.

"Omnes caeteros, utique. Mox enim istam domum obsidebunt. Itaque Rogers, ad ostium eos excipies, accessum cunctis negabis; dices eos hic nihil novi comperire posse, oportereque eos nova a decuria lictoria sibi comparare. Doce eos Delectum Grady has res administrare, nec dubium esse quin ille cum iis libenter acturus sit. Probasne haec, Lester?"

"Probo, mi Ulysses," subridens respondi.

"Nunc autem," pergit Godfrey accuratius Rogers observans, "habeo hic effigiem quam te aspicere velim. Unquamne hanc personam antea vidisti?" quibus verbis effigiem impressam Rogers tradit.

Hic primum anceps dubitabat, denique tamen effigiem tremula accepit manu. Iterum formido eum occupavit; tum effigiem ad lucem sublevat, advertit oculos . . .

"Prehende eum, Lester!" inclamat me Godfrey prorsumque ad Rogers ruit.

Rogers enim efferate iterum suum prehendit collare, dimidio se circumvertit, gravique sonitu corruit. Brachia Godfrey casum leniverunt, at ego nimium stupefactus rigui.

"Cito afferto aquam!" acri voce mandat Godfrey Parks modo sursum currenti. "Rogers necopinato aeger factus est."

Tum autem, interea dum Parks in ambitu retro currit, video Godfrey distringere collare hominis intermortui, temporaque eius utrimque acriter defricare.

"Sperare iuvat hunc non apoplexia tactum," mussat secum, "revera non oportebat me eum ita perstringere."

Verba haec me quoque ad proprios sensus revocarunt; dein proclinans, effigiem e manu Rogers prolapsam sustuli. Tum et ego quasi mecum mussando leniter exclamavi ut oculos aquilos, labia pleniora, faciem ovariam—eandem quam d'Aurelle secum in horologiolo suo gesserat—conspexi.

[1] *Tórtile, -is*, n., filum vocamus metallicum quodlibet.

[2] Apparatus electricus, qui incolas domús clangore aut tinnitu *suscitat* et evocat, si praedones fenestras aut ianuas témerent.

[3] Cuius negotium est mortuos sepelire.

CAPUT VIII

Cautelae.

At non apoplexia eum prostravit. Parks, quum pauca momenta post cum poculo aquae phialaque in altera manu propere reversus erat, nos id docuit.

"Impetus hi non sunt illi insueti," inquit. "Est ista res genus vertiginis. Praebe illi paucas guttas ex hoc."

Dein exturata[1] phiala, eam Godfrey porrexit. E vaporibus sensi eam rem speciem ammoniae esse. Momento post Rogers, quasi spasmo laborans, auram captare coepit.

"Mox satis valebit," monet Parks optima sperans. "Tamen eum tam male se habere nunquam antea vidi."

"Haud aequum est eum in constrato linquere," monet Godfrey.

"Est sella pulvinata[2] in conclavi musicario," suggerit Parks, nos itaque tres hominem inconscium eo detulimus.

Tum ego et Godfrey considentes vigilavimus dum ad vitam halitando eluctabatur.

"Revera ipse nobis haud multum poterit prodesse," putabat Godfrey. "Quin, profecto, dubito fore ut nobis quidquam revelare possit aut velit. Caeterum vultus eius quum

effigiem primum aspexit, quantum nos scire iuvabat, satis prodidit."

Sic commonefactus effigiem e sacculo, quo immiseram, exprompsi iterumque aspexi.

"Undenam id comparavisti?" ab eo quaero.

"Photographus lictorius plura eius fecit exempla. Istud unum eorum est."

"Sed unde suspicatus es duas has mulieres unam eandemque esse?"

"Vix scio," respondit meditabundus. "Utraque est Franca—Rogers memorabat labia rubra; verosimile quodammodo videbatur. Herus Grady cras quaedam in *Record* reperiet quae ipse ignorat. Verum id illi fere contingere solet. Id tamen modo fiet cum vindicta. Eho," sibi nunc interloquitur, "amicus noster sensim ad se redit."

Rogers contuitus animadverti oculos eius patere. Miratus nos intuebatur acsi quaereret qui nos essemus. Godfrey brachium suum capiti eius subiecit, poculumque aquae labiis eius admovit.

"Accipe haustum huius," ait illi, et Rogers sponte sua iussum fecit, per labrum poculi miratus eum aspectans. "Quinam tute habes?"

"Aequo debilius," refert Rogers paene susurrans. "Fuine impetu correptus?"

"Aliquid idgenus factum," mite refert Godfrey; "at noli angi. Mox bene te habebis."

"Quidnam me eo impulit?" quaerit Rogers eodem stupore eum intuitus. Tum vultus eius in purpureum versus est, et eum iterum relapsurum putavi. Post pauca tamen momenta halitationis quietus iacebat. "Nunc memini," inquit, "sine ut effigiem eam iterum contuear."

Porrexi illi. Manus eius ita tremebant, ut et effigiem vix tenere posset, vidi tamen ad se sustinendum omnibus viribus eum enisum fuisse, proin eam satis prospero eventu ad oculos levavit, ac sine motu animi aspexit.

"Novistine eam?" quaerit Godfrey.

Rogers summo meo stupore nutu capitis negavit.

"Nunquam eam antehac vidi," mutiit. "Primum quum effigiem aspexi novisse me eam existimavi; at haec non eadem mulier est."

"Num tu revera asseverare vis," acriter quaerit Godfrey, "istam non eandem esse mulierem quae hac vespera herum Vantine visum venerat?"

Rogers iterum nutu negavit.

"Minime omnino," obtestatur ille; "haec nequaquam eadem mulier est. Ista enim aetate minor est."

Godfrey nihil respondit; sed consedit oculisque prosequebatur Rogers, dum hic iacens effigiem spectabat, quum interim vultus ei mollescere coepit quasi tenerae cuiusdam memoriae afflatu.

"Agedum, Rogers," denique hortabar eum. "Satius tibi erit cuncta quae scis prodere. Si ista mulier eadem est, fatere."

"Iam, mi Here Lester, quae scivi fassus sum," respondit Rogers, sed obtutu oculos meos devitavit. "Et perquam me male habeo. Satius existimo me in lectum conferre."

"Id sane praestabit," statim assentitur Godfrey. "Parks tibi aderit;" et manum ad recipiendam effigiem protendit.

Rogers eam satis invitus reddidit. Interim labia aperuit, acsi quid dicere haberet; sed iterum clausit, ac pedetentim se Parks opitulante erexit.

"Valete, mei Heri, faustamque vobis precor noctem," fatur mansuete, seque opera Parks e medio sustulit.

"Ecce!" dico Godfrey, "quid tibi hac de re videtur?"

"Utique mentitur. Iuvabit nos comperire quare mentiatur, facereque ut resipiscat. Caeterum sera iam est nox—officina me praestolatur. Unum, verbum mi Lester—cave Rogers evadat."

"Faciam ut sub oculis sit," illi promisi. "Ego vero haud puto eum effugere audere. Quin et fieri potest eum verum dixisse. Nec profecto credo ullam mulierem quidquam commune cum utralibet morte habuisse."

Godfrey, ut iam erat discessurus, se vertit, meque intuetur.

"Quis ergo id patravit?" quaerit.

"Nemo."

"Quid? ergone putas utrumque sibi tam absono modo mortem adscivisse?"

"Non puto; non erant suicidia—caesi sunt—sed non manu humana—saltem non datá operá." Hic conticui concius me

sine spe fluctuare. "Tibi nunc, Godfrey, explicare nequeo," dixi, me quasi purgans. "Necdum mihi hactenus ad penitus excogitandum otium suppetivit. Tantulum tibi pro uno die sufficiet."

"Recte mones," ait in me renidens, "habeo satis pro uno die. Nunc iam vale. Sub itinere versus domum circa mediam noctem, si res tunc finivero, te visam."

Suspirio respondi. Sollertia Godfrey mihi subinde taedium afferebat. Iam cupidissimus quietis eram, et tamen multa supererant curanda. Ille, tametsi sciebam eum laboribus plenum diem exegisse, munusque ei historiae plurium antium[3] diurni exscribendae usque imminere, tamen erat viribus recens.

"Recte statuis," respondi. "Si lumen in fenestra mea videris, ascende.
Sin minus, me decubuisse scito; si vero me suscitaveris, te occidam."

"Leges pacti probo," ridens respondit, dum illi ostium pandi.

Ut in ambitu revertor, Parks mihi occurrit.

"Rogers in lectum condidi," mihi retulit. "Cras mane ille iterum valebit. Ipse tamen homo curiosus est."

"Quam diu eum novisti, Parks?"

"Quinque annos ipse apud Vantine exegit. Haud multum de eo scio; est ipse homo taciturnus; non multa propalat, cuncta secum sollicitus meditatur. Caeterum munia sua probe persolvit, nisi subinde, ut modo, fit ut intermoriatur nescio quo impetu."

"Parks," dixi subito, "aliquid ex te quaeram. Herum Vantine amicum meum fuisse, meque eum semper summi fecisse, nosti. Fac edissere, quid de ista quam Rogers de muliere narravit fabula, quid porro de una alteraque eiusmodi re, ubi de muliere sermo est, quid de his cunctis tibi videatur? Num tota ista res aliquo vero fundamento nititur?"

"Prosus null, mi Here," ait Parks graviter. "Pro hero Vantine octo et ultra annos caculam[4] egi, et per omne id tempus inter illum mulierculasque ullas nihil prosus intercessit. Mihi quodammodo fingebam eum aliquam quondam heram dilexisse, illa tamen mortua est—nec scio unde mihi hoc finxerim; verumtamen, ex quo ego eum noveram, mulierem nunquam conspexit—saltem non eo modo."

"Gratiam tibi habeo, Parks," dixi illi magno pondere levatus. "Tot et tanta hodie sustinui, sed hoc me sustinere non posse sensi; nunc vero—"

"Ignosce, Here," fatur vox a cubito meo; "iam cuncta apparata habemus."

Fere conterritus me verti vidique homunculum vultu rasum illic stantem, ut manus molliter confricabat, meque blande aspiciebat.

"Vespillo,[5] mi Here," explicat Parks, quum me stupentem videt. "Ipse interea advenit dum tu et herus Godfrey in musicario morabimini. Doctor Hughes eum misit."

"Sic res se habet," confirmat homullus; "nosque cadaver pro capulo paratum habemus. Id et aspectu pulchrum est, opus tamen arduo labore perfecimus. Venenone, obsecro, fuit ille interemptus?"

"Ita fuit," respondi quodam taedio, "veneno extinctus."

"Genus vírulentissimi veneni id fuit profecto; nec dixerim nos nimis mature advenisse. Quonam vis cadaver collocemus?"

"Cur non ibi ubi modo est relinquatur?" quaero impatiens.

"Esto ut iubes, mi Here," assensus fatur homo, quum ipse caeterique, magno meo levamine, cum libitinario discesserunt.

"Nunc vero," alloquor Parks, "est aliquid quod tibi dicere velim. Eamus aliquo et consideamus."

"Quid si in studium ascenderimus, mi Here? Tu non parum videris esse confectus, si fas sit ita loqui. Licebitne mihi aliquid ad gustandum afferre?"

"Brisaeum acidulatum,"[6] inquam, "si ita placet, etiam pro te."

"Libenter faciam, Here mi," et pauca minuta post eodem in cubiculo e regione invicem sedebamus, ubi non multis horis ante herus Vantine eodem potu me recreaverat. Dum Parks mihi exadversum residebat, ego mecum reputavi quid ei dicturus essem. Hominem magni feci, scivi enim me illi confidere posse. Utcunque periculum rei me facere oportuit.

"Nunc denique, Parks," iterum orsus, seposito pocillo, "quod tibi dicere habeo res grandis ac seria est, nec ulli prodideris. Scio te hero Vantine perquam fuisse devotum—iam et libet fateri eum in suo testamento tui memorem fuisse—nec ullo pacto dubito quin tu paratus sis ad eruendam arcanum suae mortis omnem tuam operam conferre."

"Nihil quidquam mihi adeo cordi est," ait Parks avide. "E corde eum dilexi. Interitum eius gravius fert nemo."

Facile perspexi quae iactura mors ista pro Parks fuisset, quae quidem eum etiam magis quam me affecit, nam ille non modo amicum, verum etiam victum amisit, unde eum iam maiori cum sympathia prosecutus sum.

"Qui tui sensus sit, accurate perspicio," inquam, "unde et tuam operam magis expeto. Causam suae mortis vago quodam modo suspicor; at hoc nimis vagum est," subiunxi, quod animadverti oculos eius exspectatione dilatari; "tam profecto vagum et ambiguum ut verbis concredere vix audeam. Hoc unum tamen haud vereor dicere—arcanum, quidquid id sit, in antico cubiculo, ubi cadavera reperta sunt, aut vero in contiguo, ubi supellex condita est, originem habet. Ea cubicula será occludam, teque operam dare volo videre nequis te ignaro eo penetret."

"Non admodum videtur verosimile quemquam eo penetrare velle, mi Here," ait Parks amare subridens.

"At mihi non tam certe constat," inquam ego serio, ac dissentiens. "Quin ego in ea sum sententia ut aliquem eo intrare admodum cupidum esse putem. Quis ille sit, aut quid ibi velit, minime scio; sed ego curam tibi committo ut eum arceas, atque si te teste eo penetrare velit, eum capias."

"Confide mihi de ea re, mi Here," protinus respondet Parks. "Quid me vis facere?"

"Ante fores conclavis camam[7] te collocare, et hac nocte illic te dormire volo. Dein cras videro quas ulteriores cautelas instituere necessarium putem."

"Bene est, mi Here," assentitur Parks. "Camam sine mora eo statuam."

"Una amplius res superest," pergo ego. "Mortuariuo mea propria fide spopondi neminem domesticorum hinc ante

inquisitionem factam discessurum. Ni fallor, licebit illis fidere?"

"Licebit, Here. Dabo operam ut rei gravitatem perspiciant."

"Praesertim Rogers," subiunxi eum contuitus.

"Teneo, mi Here," refert Parks tranquille.

"Factum recte. Nunc ergo descendamus eaque cubicula occludamus."

Cubicula usque luminibus splendebant; ad limen tamen uterque nostrum paucillum haesitabat. Nam in medio feretrum[8] stabat in constrato tegete opertum aliquid celans, cuius lineamenta horridi quid suadebant. Verum ego me composui et intravi. Et Parks secutus fores clausit.

Anticum cubiculum duas habebat fenestras, posticum autem, cornu domús, habebat tres. Cunctae erant obseratae; verumtamen tabellulae vitreae absurdissime fragiles obices mihi videbantur adversum quemlibet qui revera intrare vellet.

"Num nulli foruli lignei ad tegendas has fenestras usquam exstant?" quaero.

"Quin exstant; heri tantum sublati et in carpusculum[9] reconditi sunt.
Visne eos referam?"

"Satius puto," respondi. "Egesne ullius operá?"

"Non egeo; haud sunt graves. Si hic praestolaberis dum ego foris eos pependero, tu intrinsece uncos instringes."

"Recte statuis," probavi eius propositum, et Parks prodiit.

Interea ego posticum cubiculum intravi, et ante arcam Boulé constiti. Mihi quidem haec petulantia quadam se ostentare videbatur tanto fulgore luminum perfusa, singula frustula operis intestinarii mille radiis luminum reverberatis corusca. Species ea erat iactabunda, species vanae ostentatricis, aliorum observationis cupidae—prorsus ut hera quondam Montespan animo fingi possit, ut in ambitu speculario Versalibus solita sit sese iactans vestium susurro comitata, corporeque, conscia venustatis, nutans decursare. Sed et aliquid minax, sinistrum ac pestiferum—

Audivi interea strepitum circa fenestram, vidique simul Parks forulorum unum in locum sublevare. Statim et ego, quadro[10] fenestrae levato, pessula gravia forulorum in vaginas suas impressi, quadra demisi atque obseravi. Reliquae quoque duae fenestrae pari modo clausae sunt, ac postea ultimum circumspectans, lumina deverti. Fenestrae quoque antici cubiculi ad eundem modum forulis obditae et obseratae sunt, et hac curá solutus suspiravi plane conscius neminem iam hic invadere posse. Parks, denique, ante unicas fores cubante locum ab omni ingressu tutum fere iudicavi.

Denique antequam lumina deverteram ad staturam in feretro accessi prostratam, levavi velamen, atque vultum amici mei demortui ultimum aspexi. Vultus iam non amplius fuit fixis oculis terribilis, sed placidus et tranquillus tamquam dormientis paene renidens. Oculis humectatis fauceque arctata faciem iterum contexi, lumina restinxi, conclavique excessi. Parks camam baiulans in ambitu me convenit, eamque ante foras transversum collocavit.

"Ecce, sic," ait, "certe nemo me inscio et invito in istud conclave intrabit."

"Factum bene," respondi; tum cogitatum subito mihi incidit. "Heus, Parks," alloquor eum, "verumne est hic in singulis fenestris suscitabula praedonia[11] esse?"

"Verum est. Nola una tinnit in cubiculo heri Vantine, altera in meo, tertia autem in decuria lictoria."

"Operanturne?"

"Operantur; herus Vantine ipse tentavit hac vespera ante coenam."

"Cur vero non sonabat quum ego fenestram levavi?" quaero.

Parks risit.

"Quia diverticulum[12] seiunxi," respondit, "quum ad efferendos forulos prodii. Diverticulum est in ferrea pyxide in muro, pone gradus. Muneris mei est nexuram quaque vespera, antequam cubitum eam, provertere."

Allevatus susperavi.

"Estne nexura proversa nunc?"

"Est, sane, mi Here. Post ea quae narraveras haud erat verosimile id oblitum me iri."

"Ratum etiam esset te armare," suasi.

"Habeo mecum sclopellum."[13]

"Egregie est. Nec eo uti dubites. Nunc domum me conferam lassus praeter modum."

"Visne pilentum meritorium accersam?"

"Noli; ambulatio salubris erit. Cras te conveniam."

Adiuvante Parks laenam indui, ipse vero ostium pro me pandit. Paucis post momentis quum respexi vidi eum usque in fastigio graduum stantem, atque post me prospectantem. Probe intellexi eius animum, quam noluerit in eam morte infestam domum regredi; ego contra spiritum liberum ductavi conscius ex ea egressum me esse.

[1] Apertá, subere extracto.

[2] Sella cum *pulvillo*, aut *pulvinari*; ille tolli potest, hoc non potest; utrumque genus setá, vel alio tomento efferctum est ad molliter sedendum.

[3] *Columellas* diurnorum (ephemeridum) sic rectius vocari arbitror; *antes, ántium* ordines, strias, strigas Latine, sonant.

[4] *Cácula, -ae*, m., pedisequus, famulus a látere.

[5] *Vespillo, -nis*, m., est adiutor Libitinarii in adornandis ac sepeliendis mortuis.

[6] Aquam fossilem, vel metallicam, *acidulam*, sive per adiectivum *-us, -a, -um*, sive per nomen *acidula, -ae*, vocamus; itaque *acidulare* et *acidulatum* adhibeo ad indicandum actum quodlibet temetum *acidulá* temperandi, ut Europaei diluunt vinum apud Anglos *brisaeum* et secálinum.

[7] Est lectulus, hic, portátilis.

[8] Est supellex, cui cadaver, aut *capulus*, in quo cadaver iacet, imponitur, aut quo idem in humeris *fertur*.

[9] *Carpusculus, -i*, ea pars domus quae sub terra est.

[10] *Quadrum, -i*, hic loci, opus ligneum fenestrae est.

[11] *Suscitabulum praedonium* voco apparatum electricum, qui, si praedones, infractores, aut quislibet rei ignarus fenestras, vel ianuam, ita munitam temeret, tinnitu, vel clangore alacri incolas evocat, e somno *suscitat*, et decuriam quoque lictorum simili strepore evocat.

[12] Per *diverticulum* hic intelligo tabulam in qua claves fixae sunt electricae, quarum ope fluxus, sive meatus electricus inducitur et ad arbitrium sistitur.

[13] Arma manualia igniaria sunt duorum generum: alterum *sclopetum*, quod est maius, *sclopellum* est alterum, minus, cuiusmodi in saccis aut vaginis coriaceis geritur.

CAPUT IX

Hariolationes circa Aenigma.

Ambulatio sursum versum mihi profuit. Pluvia iam cessavit, atque aura ita sensus afficiebat acsi in recentem saporem purumque odorem fuisset elutrita.[1] Magnos eius haustus respiravi, unde sensus fatigii, pressurae, viriumque iacturae pedetentim dissipatus est. Nihil properavi—quin etiam de itinere me in Compitum Madison diverti, et in molem aedificii Laevigatorii Ferri[2] respexi, quod radiis lunae collustratum speciem eboris caesi referebat albicans et purum—atque media nox iam pridem praeterivit quum ego ad Marathonem perveni. Higgins ostiarius iam ostium exterius sera occludere parabat, ac post pauca minuta me in tollenone convenit.

"Est vir quidam qui te praestolatur," affatur me, ubi vectaculum[3] sursum ruere coepit. "Herus Godfrey is est. Vix dena minuta ante hic attigit. Memorabat te eum exspectare, proin in tua cubicula eum admisi."

"Fecisti amice," respondi, et iam iterum de indefessis viribus Godfrey cogitavi.

Eum in artisellio volutantem et in me renidentem intrans reperi.

"Higgins me docuit te necdum revenisse," fatur velut in explicationem, "itaque hic te aliquantum exspectare ratum duxi ea lege, ut, si admodum lassus non esses, aliquantum verbigeraremur. Sin vero aliter, dic sodes, et ego me e medio tollam protinus."

"Lassus non sum," respondi laenam meam pendens. "Quin valentiorem me sentio quam una hora ante."

"Non me latebat tunc te tantum non confectum esse."

"Quínam tu sospes perduravisti, Godfrey?" quaero ex eo, dum e regione sibi sedem capiebam. "Tu defessus minime videris."

"Sum tamen," ait, "paucillum. Sed fultus sum cerebro stulto, quod corpus usque eo dum quid ad agendum supersit, sopiri non sinit. Quum vero haec perfecta sunt, corpus relaxat, quod instar vacerrae somno mergitur. Modo accurate novi me hac nocte somno probe frui usque eo non posse, donec scitum theorema tuum mihi concredideris. Praeterea et ego habeo pauca tibi quae tradam."

"Perge igitur!" hortor eum.

"Remulcale paullo ante meum ex officina discessum Parisiis accepimus. Herus ille Theophilus d'Aurelle fidicen est Caffariae[4] Parisiacae. Hac vespera more solito suis fidibus cecinit, fieri itaque nullo pacto potest ut ipse cadaver iaceat in conditorio Neo Eboraci. Insuper, quanto ipsi notum, nullus amicorum eius in America est. Absque dubio posse eum per effigiem mortui, quis ille fuerit, declarare censeo, cuius exemplar iam viae commisimus, sed nova ante senos aut octonos dies percipere haud possumus. Sed ego recte hariolatus sum—nomen hominis non est d'Aurelle."

"Ais tu effigiem eius te habere?"

"Habeo, hoc postmeridiem aliquot fieri iussi. En unam. Tibi serves; aliquando usui tibi esse poterit."

Accepi pagellam, et ut speculabar vultum in ea depictum coepi intelligere torva lineamenta, quae postmeridiem videram, nullum mihi praebuisse verum hominis eiusque aspectús conceptum. Nunc oculi clausi, lineamentaque composita erant atque placida, verum etiam ipsa mors haud illi commodavit certam dignitatem. Vultus erat hominis levis et licentiosi, cauponarum asseclae, ut Parks dixerat—gyrovagi[5] platearum, hominis indolentis, qui in nulla non turpitudinis fraudisque ima descendere paratus esse videretur. Ego saltem sic existimavi.

"Is mihi certe imae sortis homo esse videtur," me observans ait Godfrey. "Aliquis parasitorum sine labore et quaestu, qui Parisiis haud rari sunt. Tabernariae et ancillae proclives in eos sunt."

"Recte te aestimare censeo," affirmo ego: "verumtamen, si eius fuit sortis, perspicere haud queo quid negotii ei cum Philippo Vantine esse poteruit."

"Nec ego; verum et aliae res complures sunt quas haud plus capio. Omnes nos coecutimus, mi Lester; haec reputastine? Prorsus coecutimus."

"Cogitavi de ea re," respondi tractim.

"Quis ille homullus fuerit, sine dubio, suo tempore declarabimus—fortasse citius quam exspectamus, cuncta enim diurna matutina effigiem eius divulgabunt, atque si hic, Neo Eboraci, notus fuerit vel maxime, aliquis eum agnoscet. Quum noverimus quis fuerit, verosimile erit et negotium eius cum Vantine nos divinare posse. Perinde reperiemus quae mulier illa sit quae hac vespera Vantine viserit—quod nihil est nisi amplior Rogers vexatio donec

fateatur, quum haud erit difficile eam exquirere, suaque secreta elicere. Insuper et cognoscemus quare Rogers eam tegat et tueatur. Haec omnia parum erunt ardua. Sed quum haec omnia perfecerimus, omniaque facta ad manus erunt, vereor ne ista omnia haud sint ullius momenti."

"Ullius momenti?" repeto ego. "At vero certe—quondam."

"Nullius momenti, siquidem has res non quaerimus. Id rescire volumus quemadmodum Vantine et hic Francus ignotus caesi fuerint. Atque hoc ipsum est, certo scio, quod nec vir, nec mulier, neque Rogers, nec quisquam cui obviam facti sumus, declaraverit. Omni huic rei humana sublatet persona, quam ne suspicari quidem novimus, et quae quo demum modo eruenda sit, prorsus ignoro. Aenigma mihi est, paene terret me; est tamquam umbra minax, quam nemo prehendere queat."

Momentum temporis silebamus; dein tempus esse arbitrabar ut et ego eloquerer.

"Godfrey," fari coepi, "quod modo tibi dicturus sum, per fidem dictum existimes velim, nec nisi facultate a me concessa edixeris. Spondesne?"

"Quin prosequere!" ait me contuitus.

"Enimvero me scire arbitror quemadmodum hi duo viri caesi sint.
Audidum."

Narravi illi deinceps historiam arcae Boulé; recolui sententiam Vantine cuius ea primum fuerit; memoravi pretium quod ipse pro ea solvere paratus fuerit; explicui longiuscule discrimen inter primarium et redditivum, ac repetivi eius assertum hanc esse primigeniam et artificium indubitatum. Longe ante quam ego finiveram Godfrey exta

artisellium fuit, vultus eius rubore perfusus, oculi ardebant, atque in cubiculo sursum ac deorsum ambulabat.

"Praeclarum!" mussitabat interdum. "Ingens! Quem et qualem efficeret casum, Lester!" clamabat ante sellam meam consistens, meque veluti lumine gloriae irradiabat iam narrationem absolventem. "Unicum quoque est et hinc praeclarum. Tam est unica fabula quam ista arca Boulé!"

"Iamne nunc tu quoque perspicis?" quaesivi aegre aliquantum quod coniectura mea tam esset perspicua.

"Num perspiciam?" quaerit in sellam recidens. "Quis nisi coecus non videat? Utut tamen sit, ob res sic collatas fidem auctoris tibi tribuo. Tot enim nostrum—uti Grady!—ita ratiocinari nequeunt, nec quae negligi queant internoscere valent. Sic, secundum Grady, quod Vantine in possessionem arcae Boulé casu venit, verosimile esset factum negligendum, atque hoc ipsum factum est omnium caeterorum essentia. Et tu solus id perspexisti."

"At tu quoque id cito intellexisti," inquam, "primum quam tibi innui."

"Ita quidem, sed tu sic retulisti ut rei gravitas esset manifesta. Non capere haud poteram. Puto etiam utrumque nostrum paene idem de ea re sentire. Nempe," hic digitis coepit numerare. "Arca occultum forulum continet. Si enim ea revera Matronae de Montespan fuerit, carere eo non poterat—ipsa ea re egebat prorsus ita ut ipsa reticula egebat in supparis, aut gemmatis nodulis in manutiis. Forulus is, quoniam fortasse documenta pretio haud aestimanda contenturus erat, veluti litteras regias amatorias—quin etiam plus si idgenus litterae ab alio viro erant!—condigne custodiendus erat, ideoque mechanisma effingendum erat ad compungendum quemlibet aperire tentantem et ad

venenum tam lethale illi instillandum, ut praesentem inferret mortem. Rectene hactenus sentio?"

"Rectius nemo," annui, "tam clare ne ipse quidem mihi anteposui. Perge!"

"Convenit ergo inter nos," prosequitur Godfrey, "negotium illius Franci ignoti cum Vantine aliquem nexum cum ista arca habuisse."

"Ipse Vantine ita putavit," interpono ego. "Ipse enim mihi postea dixit ob hanc ipsam rem se hunc convenire non recusasse."

"Quadrat! Recta hinc illatio est nos a vero haud abesse. Negotium ergo Franci ad arcam forulumque occultum attinebat. Solus relictus, arcam in contiguo cubiculo conclavi conspicatus, forulum aperire tentavit, fuitque occisus."

"Prorsus ita," approbo ego; "quid vero de Vantine?"

"Mors Vantine vix tam facile explicabitur. Haud absurde suspicabimur et mulierem eodem negotio arcae ductam venisse. Ipsa quoque occultum forulum volebat aperire, et re ibidem celatá potiri—quod quidem certum videtur ex eius cum priori advena familiaritate.

"Usquene credis eius fuisse effigiem quam ille in horologiolo gessit?"

"Id pro certo scio. Sed quí accidit ut Vantine occideretur? Num mulier fato prioris monita Vantine ad tentandum forulum consulto induxerit, ne sibi periclitandum esset? An vero ipsa quoque ignara mechanismatis fuit? Praesertim vero cum successune ipsa res in arca clausas subduxerit?"

"Miror quid arca celet," curiosus quaerito ego.

"A, utinam id sciremus!"

"Fortasse mulier id ne curavit quidem. Vantine ipse mihi dixit se arcam accuratissime exploraturum. Nec dubito quin ipse hoc ipsum agitasset, quum interventu mulieris turbatus esset. Fieri quoque potest ipsum se hanc e domo emisisse, tum vero ad arcam regressum, postquam ipsa discessisset, in forulum occultum incidisse."

"Ita, sane; id quoque fieri poterat. Verumtamen mecum fateberis utrumque hunc fere in modum, ut modo descripseram, occisum fuisse."

"Recte mones. Nihil prorsus puto dubitandum."

"Obstant quidem nonnulla—nec parum gravia. Sententia haec declarat quidem modum utriusque necis, perinde explicat similitudinem vulnerum; ostendit porro quare utraque plaga in recta manu, paullo infra iuncturas, inflicta sit; explicat denique quare cadavera eodem reperta sint loco, siquidem uterque eorum opem quaesitum iverat. Verum, primo loco, si Francus forulum evulserit, quisnam eundem clausit?"

"Fortasse manu remota forulus ipse se clausit."

"Et iterum sese clausit postquam Vantine aperuerit?"

"Etiam."

"Mechanisma scitissimum id esse oportet."

"At id fieri saltem potest."

"Quid id fieri posse neget? Meminisse nos convenit veneficos eius aevi ingeniosissimos fuisse. Ea fuerunt tempora gloriae La Voisin atque Marquise Brinvilliers ab

Elixi, et Orcus noverit quot aliorum artis huius peritorum, qui Catharinam de Medicis in Franciam secuti sint. Haec ergo omnia fieri certe poterant. Unum tamen est quod fieri non possit, atque hoc est venenum, quod si ita ingestum est ut hic ingestum esse credimus, liquidum esse oportet, recens esse, semperque ad adhibendum paratum in ea arca servari per plus quam tercentos annos. Atqui id ante saecula exsiccatum esse oportebat. Nec mechanisma tam diu integrum perduraret, admodum enim argutum ac delicatum id esse oportet. Proinde oleo subinde oblini repararique deberet. Si choragium[6] id impellit—nec capio quid aliud id impulerit—choragium debebat subinde renovari et intendi."

"Tum?" quaero, silentio ab eo facto.

"Tum clarum est forulum aliquid recentioris celare quam litteras Ludovici Quartidecimi amatorias. Mechanisma arcae novissime debebat in ordinem redigi. Sed a quo, et quamobrem? Istud est arcanum quod se nobis ad solvendum offert—est autem propositio praestantissima. Dein est aliud quod obstat," pergit ille. "Francus ille novit aliquid de illo forulo occulto, quia, ut nostra fert sententia, aperuit eum, et occisus est. Cur fuit ille ignarus veneni?"

Hoc vere poterat obverti, et quo plus de ea re cogitavi, eo gravius videbatur obstaculum.

"Fortasse," ait denique Godfrey, "d'Aurelle solus erat acturus, a turba segregatus—"

"Turba?"

"Certe hic turba subest. Hoc molimentum certe opus est complurium. Dux autem istius turbae magno est ingenio! Miror utrum capias quanti ingenii ipse sit! Reputa modo: Ipse perspectum habet secretum foruli arcae Matronae de

Montespan, sed praeprimis ipse novit secretum veneni—veneni Mediceorum! Capisne, mi Lester, quanti hoc sit?"

"Quid, tandem?" quaesivi, quod Godfrey me iam superabat.

"Hoc indicatur insignem eum esse malefactorem—revera egregium malefactorem—talem, qualem scelera nulla latent. Animadverte sis. Is solus novit secretum huius veneni; unus suorum gregem deserit, proditionem suam vitá luit. Ille est mens, caeteri instrumenta tantum!"

"Ergo tu non credis arcam casu ad Vantine missam esse?"

"Casune? Minime gentium! Quin pars fuit integrans propositi—eximii propositi!"

"Etiamne id potes mihi declarare?" quaero ex eo quadam ironia, nam haud diffiteor mihi visum esse Godfrey se phantasia suá abripi passum esse.

Bono animo subridens me conspexit.

"Haec omnia utique fabulas texere est," ingenue fassus est. "Ego primus id agnosco. Nihil nisi enim rationem theorematis nostri ad naturalem finem sum prosecutus. At fieri etiam potest nos a recto tramite prorsus aberrasse. Fortasse d'Aurelle, aut quidquid aliud nomen eius fuerit, casu tantum fortuito, tamquam blatta in flammam candelae, eo incidit.—Quod ad molimen ipsum attinet—coniectura mea nonnisi est. Quid tandem si ego et tu indicia deteximus audacis latrocinii—"

Subito conticuit, expalluit, mox iterum erubuit.

"Quidnam rei, Godfrey?" quaesivi, quod aspectus eius me exterruit.

Reclinatus in sella, oculos palmis obtexit. Vidi quam hi tremerent, quam ipse toto corpore tremeret.

"Exspectadum!" ait raucus. "Exspecta modo!" Mox se erigens, dum vultus angore rigebat, "Lester mi!" clamat voce petili prae pavore: "Arca non custoditur!"

"Imo custoditur," respondi. "De ea dumtaxat re cogitavi!"

Narravi illi dein quibus cautelis eam custodiri providissem. Non sine suspirio allevatus me audivit.

"Factum optime," inquit. "Parks haud magno esset praesidio, ex mea sententia, si res in contrarium currerent; existimo tamen arcam tutam esse—hac nocte. Antequam tamen proxima nox obrepat, Lester mi, ipsi nos inspiciemus."

"Inspiciemus?"

"Sic, Hercle, forulum occultum exploraturi!"

Quasi fascinio tactus illum contueor, sed animo recellens.

"Et reperiemus," subiunxit.

"D'Aurelle et Vantine repererunt eum," musso ego spissius.

"Et tum?"

"Uterque est mortuus!"

"Nos non occidet. Nos eam rem muniti obibimus, mi Lester. Dens ille venenatus incassum feriet—"

"Noli!" clamo ego in sellam me revulso. "Ego—ego, inquam, id facere nequeo, Godfrey. Me ignavum non esse Diis notum—at non illud!"

"Tum tu me facientem spectabis," inquit.

"Id etiam deterius esset."

"At ego paratus ero, Lester. Nullum erit periculum. Sume animum! Quin res idgenus vix ulli in vita semel contingit—evertere occultum forulum matronae de Montespan! Sic profecto!" subiungit oculis micantibus, "et ut insimul malefactori nostri aevi audacissimo nos ipsos aequas praebeamus obices!"

Risus eius petilis index suae erat concitationis.

"Dein, scisne, mi Lester, quid in eo forulo reperturi simus? At hoc—est profecto mera coniectura—coniectura coecissima, sed si sit vera—si vera sit!"

E sella sua exsiliit labra mandens, toto tremens corpore. Intra pauca tamen momenta requievit.

"Utut sit, Lester, nonne mihi non deeris? Veniesne?"

Mori eius quasi magico obluctari haud poteram. Praeterea—occultus forulus Matronae de Montespan erat evertendus! Obices ipsos nos eramus aevi nostri summo malefactori posituri! Quanta discrimina!

"Adero," respondi celeri haustu aeris; "veniam!"

Vultu hilari me in humero conpalpavit.

"Id te facturum novi! Ergo vesperi crastino.—Te accersurus horá septimá tibi adero. Coenabimus una—ac tum, euge, grande illud arcanum! Conventumne?"

"Conventum!" respondi.

Sumptis laena pileoque ad ianuam accessit.

"Quaedam quae fieri debeant supersunt," inquit; "lorica illa parari debebit—atque ratio procedendi, ut scis, excogitanda. Vale, igitur, faustam tibi precor noctem—ad hodiernam usque vesperam!"

Eo denique digresso mox ianuam pone se claudi strepitumque gressuum pedetentim evanescere audivi. Horologiolum tum aspexi: hora fere erat secunda.

Paene vertiginosus decubui. Quies tamen mea horridis somniis erat turbata, somniis—de colubro qui fulgidis oculis, dentibusque veneno stillantibus ad feriendum mihi imminens se erigebat.

[1] Lavata.

[2] *Ferrum laevigatorium* vocamus triquetram, vel triangulum ferreum solidum, quo lotrices ac vestiplicae lineas vestes elutas, amylo tinctas, parumque aqua, ne nimis rigidae essent, conspersas, ad ustulandum calido, planant ac *laevigant*. Est Neo Eboraci in compito, ubi Via Tertia et Vigesima Plateam Quintam et Latamviam intersecat, ac per iocum, ob vagam similitudinem, eo nomine vocitatur.

[3] *Vectaculum* quidquid vehitur, rite appellamus: hic loci cavea est, quae cum caetero machinamento *tolleno* appellatur post Vitruvium.

[4] Popinae in urbibus Europaeis, quo otiosi cyathos caffae nigrae aut flore lactis temperatae sorbillatum, fumatum, diurnaque lectum commeant.

[5] Qui sine negotio, proinde sine certo proventu ac domicilio vias pererrat, vitam incertam ac parasiticam ducens.

[6] Est chalybs, in spiram tortus, qui horologia impellit.

CAPUT X

Praeparationes.

Postero mane evigilanti mihi prima incidit cogitatio de Parks, quod e dictis actisque Godfrey quaedam sollicitudo animum mihi incessit ne Parks in graviori versaretur discrimine quam sive ipsi sive mihi visum esset. Quamobrem haud parum levaminis mihi attulit, quum appellanti per telephonum vox Parks mihi respondisset.

"Hic herus Lester est," inquam eum allocutus. "Prosperene omnia?"

"Omnia salva, mi Here," ipse respondit. "Perfractor egregius ille sit, qui nunc hic invadere tentet."

"Quínam?" quaero.

"Relatores domum undique obsident. Persuasum sibi habere videntur alium quem hodie hic occisum iri."

Haec quidem ridendo protulit, mihi tamen hic conceptus non tam iocosus esse videbatur.

"Id futurum haud spero," statim respondi. "Cave quemquam relatorum intromiseris, aut cum iis colloquaris. Responde illis se ad decuriam lictoriam sciscitatum conferre oportere. Si vero te nimis vexent, fac me certiorem, et ego statim lictorem submittam."

"Teneo, mi Here!"

"Insuper, Parks."

"Audio, Here."

"Neminem omnino in domum admiseris—quidquid demum velit—nisi ab heris Grady, Simmonds, aut Goldberger comitatus veniat. Neminem tibi ignotum intromiseris. Siquid insoliti evenerit, me edocueris. Cautem te hac in re esse velim."

"Calleo, Here mi."

"Qui valet Rogers?" quaero.

"Multo melius. Volebat quidem surgere, sed ego monendum eum putavi satius sibi esse in lecto perseverare, neque res administrare velle. Eum locum sibi potiorem esse existimavi."

"Recte factum," assentior ei. "Illic eum dum potes continebis. Si fieri poterit succedente die et ego veniam; sub vesperum tamen ego et Godfrey pro certo aderimus. Interim siquid me velis, hic in officina me evocabis."

"Statutum bene, mi Here," respondit suspenso auscultatorio.

Relata de eventibus a Godfrey facta in diurno nunc demum ientans lectitavi, probeque animadverti clandestinas in Delectum Grady allusiones:

HERI VANTINE SALUTATRIX IGNOTA
(Grady velis animadvertere)

Nec obscure significabatur oportuisse Grady siquando veram cuiusque rei gravioris momenti requireret notitiam, ad

Record se convertere debuisse.

Haec tamen obiter fiebant, ipsa enim geminae tragoediae historia, fuse illustrata, per antes plures effusa erat, satisque constabat summa diei nova censeri.

Sub itinere deorsum in urbem plura inspexi diurna. Eventus hos tragicos cuncta horum magna imaginum profluvione—imaginibus d'Aurelle, Vantine, Grady (vegrandi), Simmonds, Goldberger, Freylinghuisen, aedium Vantine, collustrarunt; diagrammata exhibebant conclave cum situ ubi cadavera reperta sint; lineamenta anatomica exhibebant indolem vulnerum; accedebant effigies veneficorum vetustatis cum fabulis admodum turgidis de rebus gestis eorum,—sed ubi ad explicandam ipsam huius tragoediae historiam perventum est, reperi ea magis ieiuna et minus intima narrare quam relata ipsius *Record*.

Pleraque horum mera erat farrago theorematum, hariolationum, suggestionum, quibus sanguis rigescere possit, item, clam innuere gestiebant profundas notitias relatoribus confisas, non tamen in publicum evulgandas, donec sicarii oppressi fuisset. Id autem mox factum iri nulli diurno erat dubium, siquidem nonne Grady, magnus ille Grady, in persona suscepisset res administrandas? (Hic deinde gloriosa sequebatur historia rerum a Grady gestarum).

Satis ex his perspicuum erat omnes hos relatores ad suas notitias obtinendas ad Grady recurrere debuisse, et facile mihi fingere queo quí hi relatores dum haec panegyrica inviti scriptitabant, secum eum in mala devoverint. Etiam commode mihi fingere queo quemadmodum concinnatores diurni haec vaga figmenta cum admirabili sibique consistenti descriptione eventuum a *Record* editorum conferentes eadem damnaverint, proinde et suspicabar

triumphum *Record* in causa esse quare copiae relatorum aedes Vantine obsedissent.

Interim simulac herus Royce in officinam advenerat, totum hunc rerum statum cum eo pertractavi, reliquum autem diei tempus documentis, ad bona Vantine facientibus inquirendis et a Tabulario probandis insumpsi. Parks interim semel aut bis me quaesitum quid de certis minutiis statuissem, appellavit, aliquis autem e propinquis potioribus, patruelis aut consobrinus tertii vel quarti gradús alicunde ex occidente telegraphemate me docuit se versus Neo Eboracum iter suscepisse. Tum autem circa dimidium postmeridiem Parisiis remulcale, a me iam paene oblitum, huius tenoris pervenit:

"Royce & Lester, Neo Eboraci.
"Erroris in arca transmittenda nos admodum poenitet.
Delectus noster explicatum veniet.
"Armand et Fils."

Sic itaque finem accepit fabula poetica quam Godfrey texerat, et quam credere ego paene eram paratus—fabula de consilio conscio, de insidiis et molimento de industria concoctis, deque aliis idgenus. Haec igitur casu tantum inciderant. Ad haec et ipse de me et ob meam credulitatem risi. Haud dubium quin et mea figmenta poetica de occultis forulis deque venenatis cuspidibus aeque fabulosa esse comprobentur. In meo animi statu nocte hesterna haec satis credibilia mihi videbantur, sed nunc, plena diei luce id omne perquam absurdum mihi parebat. Quam Grady et Goldberger ista risissent!

Totam proinde hanc rem impatiens a me amandavi, mentemque ad alia converti; tamen profundam quandam nervorum tensionem deponere me haud posse sensi; itaque obseratá scriptoría meá, ministellum edocui me non

rediturum, atque accitá rhedá meritoriá Nemus Urbanum percursare statui. Aura recens, fragrantia arborum, aspectus puerorum iuxta vias colludentium me haud parum recrearunt, et sic par eram Godfrey, horá septimá me convenientem, risu excipere.

"Mensam conduxi in popinula prope a cornu vici," fatur is, ad me ingressus. "Institor popinulae amicus meus est, speroque locum tibi placiturum fore."

Et placuit. Prandium profecto adeo placuit, ut totos nos devinciret, nec usque eo negotium, quod nos huc allexerat, memoravimus, donec caffa allata, convolvulique accensi fuissent.

"Quidquamne novi?" sciscitabar ab eo, dum sellas nostras parumper a mensa amoliebamur.

"Nihil, ullius momenti. Cadaver in conditorio declaratum non est. Prae omnibus, lictores Parisiaci mensuras Bertillonianas eius nullas sumpserunt."

"Proinde malefactor non fuit."

"Nunquam fuit captus," interpretatur Godfrey. "Magis etiam mirum hic eum non fuisse cognitum. Verosimile est binas hominum milliones effigiem eius in diurnis vidisse. Aliqui putaverunt quidem se eum novisse, et hi conditorium quoque adiverunt; id tamen incassum fuit. Nemo disperiisse lictoribus relatus est."

"Hoc certe insolitum est, nonne ita?" interpretor ego.

"Valde, profecto, insolitum. Id alterutrum significat: sive suos amicos se consulto occuluisse, sive vero, saltem Neo Eboraci, prorsus nullos habuisse. Verum etiam tum, saltem is

qui cubiculum ei locavisset, mirans quid de eo factum esset, prodiret, et de eius fatis sciscitaretur.

"Fortasse nullum cubiculum conduxit," memoro ego. "Neo Eboracum fortasse modo pervenit, rectaque ad Vantine perrexit."

Vultus Godfrey clarescere coepit.

"A vaporaria,[1] utique! Tantum profecto vel de sua inducere poteram tonsura. Vel inde patet eum vix denos dies a Francia abfuisse. Ignosce interim paulisper."

His dictis cito discessit, sed quinis circiter minutis iterum rediit.

"Officio nostro telephonavi ut ad vaporarias, quae heri appulerant, sciscitatum aliquem mitterent. Nam si ipse vector fuerit, aliquis nauticorum effigiem eius agnoscet. Tres fuerunt naves quibus advehi poterat—*Adriatica* atque *Coecilia*, a Cherbourg, atque *La Touraine*, ex Havre. Nihil aliud est quod sciam," cogitabundus subiunxit, "nisi quod Freylinghuisen putat se indolem veneni agnovisse. Id speciem quandam acidi Borussici esse ait."

"Ita, sane," respondi, "tale quid eum heri vesperi memoravisse audivi."

"Hoc postmeridiem de ea re cum eo collocutus eram, et se doctissimum comprobavit," prosequitur Godfrey. "Grandis ipsi sane isthaec est occasio auram popularem captandi, usumque eius capiet quam potest maximum. E verbis eius collegi acidum Borussicum, quod Dii norunt satis lethale est, duas solum centesimas veneni complecti; solutionem autem hactenus factarum virulentissimam quaternas centesimas efficere. Freylinghuisen asserit eum, quicunque hoc venenum concoxerit, novam certe eius miscendi rationem

invenisse—aut certe rationem antiquam parandi denuo reperisse—ita ut hoc quinquagenum centesimarum esset virulentiae. Aliis verbis: si vel particulam guttae eius in sanguinem hominis vivi intuleris, celerius eum occides quam si glande[2] eum in corde feriisses."

"Nihilne ergo hominem servare posset?" quaero ego.

"Nihil omnino. At ego non dixerim prorsus fieri non posse ut siquis tibi securi adstet, atque intra momentum, postquam venenum manui tuae infusum fuerit, brachium humero tenus decusserit, nullam spem vitae superesse; verum id citissime fieri deberet, quin et tunc quaestio esset fortunae. Freylinghuisen existimat id inventionem esse novam. Ego nego. Potius aliquis mihi videtur praescriptum Mediceum vetus reperisse. Fortasse haec formula in occulto forulo erat recondita, ut semper esset unde mechanisma ali posset."

"Mi Godfrey," quaero eum, "usquene desiderio eius rei experiendae teneris?"

"Nunquam magis; forulum illum occultum explorare pergam. Atque si dentes illi feriant—esto, ero paratus. Vide sis quid hodie fecerim."

His dictis e sacculo aliquid produxit, quod manutium[3] chalybeium esse videbatur, veluti quae in sutis[4] videmus veterum. Id manui induxit dextrae.

"Ut vides, manutium totam manús tegit superficiem," inquit, "ad medietatem articulorum usque digitorum. Factum e rigidissima chalybe est, atque glandem repercuteret. Atque videsne mi Lester, quí in medio cavatum sit?"

"Video," inquam, "mirorque cur id ita feceris."

"Aliquantulum illius veneni, exempli instar, accipere volo. Ex mea enim sententia, quum dentes manum percutiunt, ictus guttulam, vel duas, eius veneni inde elicit. Nolo ut guttulae eae depereant, sed potius ut in ista cava decurrant, collectasque summá curá phialae committam. Finge modo quid id sit, mi Lester!—venenum Mediceorum!"

Sedens paulipser partim hilaris eum aspectabam, partim miserescens. Miserum enim erat futurum novisse ut sua theoremata utpote pulchritudinis plena, mox in nihilum recidant, quum ipse iis adeo delectatus ac beatus fuerit. Insuper quam egregiam ea praebitura erant historiolam! Obtutu meo oculis capto, manutium chalybeium in sacculum recondidit.

"Hem, quid nunc est rei?" quaerit placide.

In responsum produxi remulcale, eique tradidi. Superciliis caperatis id legit.

"Nonne istud nostra bella somnia paululum acu terebrat?" quaero tandem ex eo.

Cogitabundus capite annuit.

"Ita equidem," et nuntium iterum ad verbum legit. "Delectus Armand necdum te visit?"

"Necdum; nuntium enim non multo ante circiter horam tertiam accepi.
Fortasse cras aderit."

"Arcam illi utique tradere debebis?"

"Prorsus ita, sua enim est. Saltem non Vantine est."

Nuntium in involucrum recondit, mihique reddit. Quam fuerit animo turbatus atque confusus, e rubore vultus facile perspexi.

"Nihilo secius," fatur denique, "arca illa mihi tamen cordi est, Lester, optoque ut eam tam diu quam possis, detineas. Ego saltem usque eo non dederem, donec alteram, a Vantine emptam ille tibi traderet."

"Ut id agat utique dabo operam," annui protinus. "Absque dubio id aliquot exiget dies—si vero arca Vantine usque Parisiis sit, etiam plus."

Godfrey digito pincernam accersit, petit rationale,[5] solvit.

"Nunc vero, age, procedamus inspiciamusque istam arcam," inquit, "ut fuit in votis. Me insanire putabis, Lester, verum ne illud remulcale quidem fidem meam, occultum illum forulum existere, concussit."

"Caeteraque omnia?" quaero.

"Prorsus omnia," tractim respondet. Interim dum aedes Vantine attigeramus nullum verbum protulit. E torsis tamen superciliis satis perspexi quanto nisu conaretur arcanum eius foruli explicare.

"Obsidio videtur iam soluta," dixi ego, nobis e vehiculo descendentibus.

"Obsidio?"

"Parks mihi per telephonum nuntiabat consortes tuos locum hunc obsedisse. Ego autem obsidentibus resistendum iussi."

"Miselli iuvenci!" ait subridens. "Aegrum cogitatu est hos id solum scire quod Grady eos docere possit!" His dictis ad

aedes accessit easque undique circumspexit.

"Quonam in cubiculo est arca sita?" quaerit.

"Cubiculum anticum illic, a laevo est, ubi duas fenestras cernis obtabulatas. Arca in cubiculo angulari est—cis una est fenestra, citra sunt duae."

"Exspecta modo dum accuratius perspiciam," me monet, humilique sepimento superato, celeri gressu praeterivit aedium frontem et latera, angulum praetergressus. Haud plus uno minuto abfuit. "Salva omnia," submissa voce, allevatus animo renuntiabat.

"Utique sunt salva et tuta. Certe tibi visum non est—"

"Si arca id quod putavi celat, Lester—quin," subiungit acrius, meo obtutu animadverso, "quod et nunc credo eam celare—tuta et salva sub robustissimo fornice Argentariae Nationalis Urbanae non esset," quibus dictis ut pulsarem innuit.

Parui silens.

Parks fere momento ipse adaperuit, cuius e lineamentis facile divinavi quam nos videndo gavisus sit.

"Heus, mi Parks," alloquor eum dum intro, "spero hic cuncta prospere geri."

"Prospera omnia, mi Here," respondit. "Sed tamen nervos nostros tentant."

Interea dum laenam pendendam Parks trado, motum pone me percipio, et conversus video Rogers in camula sedentem.

"Heus te," alloquor eum, "iamne circuire vales?"

"Valeo, Here," respondit, nec me aspiciendo. "Satius existimavi descendere et in societate Parks versari."

Parks paulisper amariuscule subrisit.

"Quod ego id expetivi, Here Lester," ait. "Hic enim adeo solum me sensi ut aliquem vel solius collocutionis causa adsciscendum existimarem. Praesertim quum suscitabulum praedonium sonare coepisset."

"Suscitabulum praedonium?" cito exclamat Godfrey. "Quid ais?"

"Habemus enim in fenestris suscitabula contra praedones. Id quidem interdiu avertere solemus, hodie tamen satius duxi adversum servare, itaque medio postmeridiem revera tinniit. Primum aliquem domesticorum fenestram aperire tentare putabam, sed nullus id temeravit. Certe puto aliquid infausti evenisse."

"Visumne ivisti fenestram?" quaero ex eo.

"Ivi visum equidem; nam et lictor advenit sciscitatum quid accidisset, et una circuivimus fenestras exploratum, sed clausas omnes reperimus. Inde quodammodo meticulosus paululum factus sum."

"Suscitabulum usquene operatur?"

"Non operatur; lictor me docebat circinationem alicubi ruptam esse, seque fabros, qui apparatum instituerant, extemplo edocturum; sed hactenus nemo advenit."

"Satius arbitror, ut ipsi fenestras exploremus," suadet Godfrey. "Tu, Parks, hic manebis. Nos eas ipsi reperiemus; nolo ostium vel pro momento temporis sine custodia relinqui."

Nos interim unam fenestram post alteram exploravimus, quocirca minutissima cura, qua Godfrey singula inspexerat, me stupore perculit; nam ne somniare quidem valebam quonam ista sedulitas tenderet. Circuivimus pedeplanum[6] indagando quin aliquid momenti reperissemus.

"Inspiciamus nunc carpusculum," invitat ille, deorsumque per gradus viam flectit ita paratus, ut inde intellexissem eum iam antea domum perscrutatum esse.

In culina offendimus cocam atque ancillam unā sedentes et submissa voce colloquentes. Sollicitae nos exspectabant, sed ego ad animos earum permulcendos constiti, dum Godfrey rimabundus processit. Mox eum me vocantem audivi.

Eum in camera quadam veluti ruderaria, ante singulam eius fenstram, laternula electrica in manu, stantem reperi.

"Specta modo eo," voce motu animi tremula radiis luminis eo flexis commisuras[7] quadraturae unius fenestrae superiores et inferiores indicat.

"Quidnam id est?" quaero momento post. "Nihil mali cerno."

"Nihilne? Nonne vides paratas insidias domum istam hac nocte invadendi?
Quidnam hoc aliud indicat?"

Ungue igitur unius digiti extrema tortilis intexti[8] revulsit. Iam nunc et ego perspexi tortile rescissum fuisse.

[1] Subaudi *navi*.

[2] *Glans, -dis*, f., proprie fructus quercuum; linguā tamen militari est argilla, saepissime plumbum, in speciem glandis fictum, cuius magnam copiam funditores Romani in hostes

fundis iaculari consueverunt. Glandes plumbae huiusmodi repertae sunt sic inscriptae (O, Dea) ROMA FERI, nempe hostem. Proinde etiam globuli, quos milites moderni e sclopetis sclopellisque eiaculantur, quum et specie vix differant, *glandes* appellantur.

[3] Est operculum, sive vestis manuum; Romanum est.

[4] *Súta, -orum*, thorax, cataphracta, tegumentum metallicum pectoris, aut totius corporis, ad avertendos ictus telorum.

[5] *Rationalis, -e:* linguá negotiali Romaná *litterae rationales* significant pretia rerum scripta, quia *rationem reddere* est numeris ostendere quid quaeque res valeat, aut quid actum vel gestum sit; *rationarius* itaque est scriba, qui sumptus computat; litterae, chartae in quibus sumptus, erogatio pecuniae, aut debita numeris exprimuntur *rationales*, vel, per substantivum, *rationalia* audiunt.

[6] *Pedeplánum, -i*, est ea pars cuiusque aedificii, quae in *plano* est cum *pedibus* in via ambulantium; est supra carpusculum, contignatio prima.

[7] *Commisura, -ae*, linguá fabrorum technicá contagionem, sive eum locum significat, ubi orae, latera, duarum tabularum sese contingunt, et plerumque glute vel glutine, compinguntur. Hic contagionem indicat superioris et inferioris quadraturae fenestrarum, ut ea in America fiunt.

[8] *Tortile intextum* est filum aereum, plerumque cupreum vel ferreum, quod tela quadam, potissimum sericea, ita obtegitur, ut armatura quaedam inter manum attrectantis atque metallum intersit, alioquin manus ictu electrico feriretur.

CAPUT XI

Oculi Ardentes.

Pro momento temporis gravitatem rescissi tortilis totam haud intellexi.
At—mox perspexi.

"Illa mea somnia," minime motus Godfrey ait, "iterum revivescunt. Aliquis etenim viam sibi in hanc domum ista vespera invadendam parabat—aliquis, utique, cui arca illa ex re est."

"Certe ille nullum tempus trivit," interpretor ego.

"Sciebat nempe nullum ei suppetere. Quum tu foros eos pendendos curasti, ille intellexit te eum monuisse, propositaque perspexisse. Non ignoravit ipse suscitabulum, se tortile scissuro, tinniturum, nisi esset seiunctum; sed ipse aeque novit pacisci posse futurum ut nulli in domo innotescat, si ipse tortile ruperit, nec ante crastinum diem rupturam reparatum iri."

"Numquid eum insidiis capere non possumus?" quaero ego.

"Tentare quidem possemus, sed coeptum id, Lester, perquam est lubricum."

"Unum coeptum temerarium sufficiet pro die," respondi ego cum suspirio, quandoquidem mihi fides occulti, veneni,

caeterarumque rerum cum impetu redire coepit. Fere poenitentem me erga Godfrey gessi, quod unquam ausus sim circa eum dubitare. "Satius erit dubitare, sed exspectare ac videre utrum primum vitá evadere queamus, quam alterum paremus."

"Recte mones," ait Godfrey ridens. "Rupturam hanc tamen reparabo."

Cultellum itaque exprompsit, binos aut ternos uncos, qui tortile destinatum tenebant, laxavit, tortile utrimque propius contraxit, velaturam deglupsit, extremos fines tortilium in laqueos inflexit, copulavit ac revinxit.

"En," inquit, "totum refectum. Si perfractor fenestram attrectaverit, suscitatorium in motum aget. At non puto eum id facturum. Quin existimo eum suas machinationes patefactas esse iam sentire."

"Quí id sciat?" dubitans quaero.

"Si oculis hanc fenestram prosequitur, quod eum facere credibile est, lumen meum vidit. Fortasse et nunc vigilat."

Opacum fenestrae quadrum haud sine quodam tremore contuebar. Iam negotium istud nervos meos iterum afficere coepit. Sed Godfrey humeros exagitans se avertit.

"Nunc tandem ad arcam," fatur, mihique in ascensu postico praeivit.

Rogers usque in camula desolatus sedebat, et propius eum aspiciendo percipere poteram quam pallidus deiectusque esset. Quaeque eius sollicitudo fuerit, imo eius animo insidere satis constabat.

"Quidquamne habes, Rogers, hac vespera?" mite ab eo peto, "quod nobis edisserere velis?" At ille nihil nisi caput agitat.

"Iam quae scivi, mi Here, omnia tibi narravi," voce respondit submissa.

"Vexare te non pergam, Rogers," prosequor sermonem, "vellem tamen ut rem tecum reputares. Opem meam, siquando egeas, tibi adfuturam scito."

Oculos suos cito in me sublevavit, sed protinus se recepit et obtutum avertit.

"Gratiam tibi habeo," respondit, nec quidquam plus.

"Nunc vero," moneo asperius, "te surgere iubeo. Velis, Parks camulam a foribus amoliri."

Parks vultu stupenti obsequitur.

"Eo certe non intrabitis, mei Heri!" obtestatur me Parks ansam forium tenentem.

"Intrabimus vero," respondi, foresque pandi. "Estne—est . . ."

"Non est," interpellat Parks, divinando. "Libitinarii capulum attulerunt, cadaver imposuerunt, et hoc postmeridiem in exedram[1] dimoverunt."

"Valde placet. Nunc cuncta lumina accensa habere volo, mi Parks, prorsus ut vesperá hesterná."

Parks manu intra ianuam porrecta deflectorium electricum advertit. Tum discedens, sed cerá[2] iterum reversus, lumina spiritús lithantracini accendit. Intra momentum lumina interioris quoque cubiculi exarserunt.

"En, Here mi, habes tua lumina," inquit Parks versus ianuam recedens.
"Quidquamne me vis?"

"Modo non. Exspecta tamen intra ambitum. Fortasse opus te habebimus." Monere eum volebam ut securim in promptu haberet, nisi quod Godfrey subridentem vidi.

"Bene, mi Here," respondit Parks, haud dubie laetus discedens clausit ianuam.

Post haec in interius cubiculum praecessi.

"Ecce hic ea est," inquam, capitis nutu indicans arcam Boulé, in pleno stantem luminum fulgore, quaque particula intestini operis basilisci oculorum instar micante. "Haud sero est, mi Godfrey, eam missam facere."

"Imo vero est," frigidiuscule ipse refert dum tunicam exuit. "Iam eo momento quo mihi historiam eius narraveras sero fuit. Quid? Lester, si eam nunc mitterem, nunquam amplius dormirem!"

"Sin vero minus, nunquam amplius evigilabis," subiunxi.

Leni risu respondit.

"Quam asper tu vates es! Admove sis sellam, meque observa."

Interim manicas subuculae suae sursum volvit, laternulam autem electricam iuxta arcam deposuit. Dein brachiis plexis paulisper oculos in eximio opere heri Boulé pavit.

"*Est* haec revera pulchritudo ipsa," tandem fatur, tum forulos pusillos, unum post alterum, evulsit, inspexit singulos, tum magná cura singulos in sellam deposuit. "Decernendum

nunc puto utrum alia, occulta, spatia hic non delitescant," ait.

Tum mensuram eburneam plicatilem e sacculo produxit, eam explicuit, mensurasque tam minutas et abstrusas in omnes partes instituere coepit, ut fere per dimidiam horam nullum verbum edidisset. Dein aliam admovit sellam et iuxta me consedit.

"Certe in ambages incurri," fatur denique, "quod ut eveniret, absque dubio mens artificis huius arcae fuit. Totus fundus scriptoriae occlusus est, hi autem tres foruli exiguum tantum spatium explent. Tum tergum arcae geminatum esse videtur —ni plus, estque illic spatium trium digitorum, de quo rationem reddere nequeo. Est ergo facile credibile spatium illic satis interesse etiam duodenis forulis occultis, si Matronae de Montespan ita visum sit. Nunc vero speculemur technam eius."

Manum itaque dextram cum chalybeio manutio inseruit, et ante arcam in solum desedit.

"A fundo igitur exordiar," inquit. "Siquod praeterivero punctum, ad id me revoces, velim."

Digitis suis superficiem aereorum ornamentorum pedum delicatorum arcae asperitatesque summa pernicitate percursat. Praesertim in singulis umbonibus bullisque haesit partim introrsum premendo, partim sursum deorsumque tentando, si cederent, at non cesserunt. Deinde ad fundum processit, adhibitaque suá laternulá, cunctas rimas collustravit, sed incassum.

Alterum dimidium horae ita explevit, et quum denique ex imo arcae fundo sese subduxit, totus vultus sudore manabat.

"Opus arduum est," inquit demum residens, frontemque tersitans. "Tamen, nonne, Lester, magnae pulchritudinis ista est? Quanto plus eam speculor, tanto videtur admirabilior."

"Explicui et Vantine me eius rei iudicem parem haud esse," respondi, "neque modo sum."

"Ne ego quidem, tamen quantum in me est, aequi bonique facio. Pulchritudo ista obryssa est aetatis Ludovici Quatuordecimi—artis splendor ad—issimum gradum sublatus. Cerne modo opus musivum in fronte—quidquamne elegantius tibi fingere potes? Et quid de caelaturis—nihil in iis frigidi et ieiuni. Caelo ea ornamenta erant exsculpta, qui manibus obediebat principis cuiusdam artificis—ipsius fortasse heri Boulé. Nec mirum si Vantine ob eam rem furebat. Foriculum tamen eum necdum reperimus," et his verbis sellam suam propius arcae admovit.

"Unum te monitum esse vellem, Godfrey," alloquor eum: "si tu digitis ambarum manuum scalpitare perrexeris, ut adhuc fecisti, fieri tam facile poterit ut laeva, quam ut recta manu feriaris."

"Vera memoras," probat ille. "Si me id iterum facientem videris admone me sis!"

In fronte arcae tres erant foruli; hos Godfrey evulsit. In locum unde hos exemerat, manum rectam ingessit, eumque caute exploravit. Deinceps digitis percurrit umbones rugasque musivi operis, quo latera planumque arcae incrustata erant, et haec digitatim et unciatim. E sententia saltem mea, si usquam occulti foruli latuerint, hac circiter in parte latere eos oportebat; hinc eum spiritu suspenso prosequebar. Semel dumtaxat existimabam eum reperisse forulum, particula enim crusti a latere arcae paucillum digitis cedere videbatur; nullum tamen occultum choragium attrectatum

est; nullus forulus proruit apertus; nulli dentes venenati proruperunt.

"Hem," fatur denique Godfrey residens in sua sella, frontemque iterum tersitans, "tantum itaque effeci. Si ullus in ima arca forulus occultus est, is certe efficacissime est abditus. Nunc superiorem tentabo."

Pars arcae superior ordines continebat forulorum per series, ordo erat super ordinem, quos fastigium triquetrum claudebat, cuius tympanum pulcherrimis ornamentis aeneis nitebat. Forulos hos ianua claudebat duarum valvarum, in medio convergentium, quas opus musivum miris ambagibus decorum in ornatum tegebat.

"Si forulus occultus uspiam hic delitescat," hariolatur Godfrey, "alicubi a tergo occultatur, quod illic spatium videtur esse inane. At vero de detegenda techna . . ."

Digitos igitur crusto iterum applicat, tum subita perculsus cogitatione, parvulas figuras aeneas in tympano tentat, reperit tamen eas solidas et immobiles esse.

"Untum tamen certum est," fatur iterum, "technam, qualiscunque ea caeteroquin sit, eiusmodi esse indolis ut casu inveniri—uti siquis stans, verbi causa, latus ei applicet, nullo modo possit. Nec satis est ut choragium tantum premas; quin necesse videtur esse seriem vectium certo ordine tractari et operari certo ordine oportere, alioquin forulus nunquam aperietur. Vereor ne repulsam feramus."

"Graviter rem me ferre asserere haud queo," retuli ego animo allevatus. "Ego quidem ex mea parte aequo feram animo si forulus in sempiternum delituerit."

"Ego non item," paucis refert Godfrey, strictis superciliis residens arcamque aspectans. Mox iterum surrexit arcamque

a tergo palpare coepit.

Nescio quid id fuerit—nullius enim conscius fui strepitús—vis tamen quaedam arcana oculos meos ad fenestram posterioris partis cubiculi allicuit. Prope ad summitatem foriculi quem ego et Parks in locum apposueramus, exiguum erat foramen lunare aliquantum, lucis gratia fortasse excisum, per quod par oculorum—oculorum ardentium—speculari videbatur.

Oculi hi in Godfrey tanto ardore erant defixi, ut meum obtutum nec observare parerent, et sic caput protinus deflexi.

"Godfrey," alloquor eum, "noli suspicere; cave vertas caput; est nempe aliquis, qui per foramen fori fenestrae, e regione nobis, nos speculatur."

Godfrey prope solidum minutum non respondit, sed opus arcam explorandi commode prosequebatur.

"Tene se aspectantem videt?" quaerit denique.

"Non videt; omnis te speculatur oculis e fronte paene procidentibus.
Nunquam tales vidi oculos!"

"Ullamne vultús eius partem vidisti?"

"Non vidi; foramen exile est. Digitos unius manús eius videor vidisse, dum se loco continere conatus in foramine tenebat."

"Qua in altitudine est foramen?"

"Prope ad summitatem fenestrae."

Pauca post momenta Godfrey ad sellam suam revertit, consedit, atque mucinium[3] sensim in vultum induxit. Dein proclinatus pedes arcae aspectare affectabat.

"Vidi eum," inquit. "Sive potius oculos eius vidi. Nonne quam sunt saevi."

"Oculi tigridis sunt," ex animo persuasus respondi.

"Enimvero, dum iste nos ex extrinseco speculatur, usui haud erit opus nostrum prosequi. Nam si etiam forulum occultum reperiremus, eodem fere momento uterque nostrum moreretur."

"Aisne fore ut iste nos occisurus esset?"

"Eodem momento nos traiiceret. Finge tibi, Lester, quanta ista esset consternatio! Parks audiret duos ictus sclopelli, irrueret, nosque hic mortuos reperiret. Grady in convulsiones raperetur—ac per aliquot dies ambo celebres essemus."

"Ego vero celebritatem alio quodam modo quaeram," inquam immotus.
"Ecquid hac de re statues?"

"Capere eum tentandum puto; quod si efficeremus—tum sane celebraremur! At coeptum eiusmodi est quasi scorpionem capere—certum esset nos detrimentum laturos. Si ille homullus est, quem esse puto, omnium mortalium ille maxime periculosus est."

Interim superficiem arcae palpare perrexit. Quod ad me attinet, nescio quid non pactus essem, si eosdem oculos micantes iterum conspicere mihi datum esset. Ii enim inussi esse videbantur; urentes radios in tergo meo sursum deorsumque mihi cursare persuadebam.

"Quid non prodeam acsi aliquid prosequerer?" suasi ego. "Tum ego et
Parks circumcurrentes cornu eum haberemus."

"Quin non tu eum, sed ipse te haberet. Tibi nulla pateret occasio. Si est in superiori contignatione fenestra supra illam, aliquid in eum demittere posses, aut vero nostro Parks liceret eum sclopello traiicere—"

"At nonne id ignavo admodum modo fieret?" sciscitabar.

"Mi amice, Lester," obtestatur Godfrey, "si aspidem aggrederis, nonne id nuda manu haud tentabis?"

Prorsus invitus—oculos iterum ad fenestram converto . . .

"Decessit!" exclamo.

Godfrey binis saltibus fenestram attigit.

"Cerne modo istud!" ait, "tum fatere utrum ipse non summo sit ingenio!"

Oculis secutus digitorum indicium, vidi e regione foraminis tabulae simile foramen vitro esse incisum.

"Lurco ille omnia praevidet," cum admiratione fatur Godfrey. "Existimo eum illud foramen instantibus tenebris excidisse. Oportet eum praevidisse futurum ut nos arcam hac vespera exploremus—ipse vero non modo videre, verum etiam audire volebat. Quidquid diximus, mi Lester, ipse audivit."

"Prosequamur eum!" clamito ego, et quin responsum exspectassem, anticum conclave persultavi, foresque in ambitum ducentes cito aperui.

Parks et Rogers foris, in camula, in ambitu, sedebant; nunquam antea vidi duos homines adeo perterritos.

"Per Deorum fidem, Here Lester!" halitabat Rogers, qui manibus gulam stringens stabat.

"Herus Godfreyne is est?" clamat Parks.

"Aliquis est hic foris. Ad manum habesne sclopellum, Parks?"

"Ita habeo," idemque e sacculo evulsit.

E manibus eius id eripui, aperui ostium, cancellos transilii, iuxtaque murum ad angulum usque prorepsi.

Dein omni mea audacia evocata, circum cornu assultum molior.

Nemo in conspectu erat; sed e quodam loco propinquo cachinnus derisorius ad aures meas pervenit.

[1] *Exedra, -ae*, est cubiculum amplius et ornatius, ubi peregrinos excipimus, aut ubi familia congregatur; diversa est ab _oeco, (-us, -i) qui ostio contiguus est.

[2] *Cera, -ae*, est candela e cera tenuis, quá lampades altius pendentes succendimus.

[3] Est tela, quam in sacculo gerimus, ad mungendum nasum adhibita.

CAPUT XII

Godfrey Exterritus.

Oculis usque fixis stabam, cachinnus usque in auribus resonabat, quum
Godfrey ad me accessit.

"Ipse utique evasit," fatur frigide.

"Prorsus ita; cachinnantem eum audivi!" inquam.

Godfrey me subitaneo obtutu aspexit.

"Age, mi Lester," fatur solabundus, "cave nervis tuis cedas."

"At hic non de nervis quaeritur," obtestor ego fere aestuans, "distincte audivi. Nec ab hinc procul abesse videtur."

"Procul admodum quominus nos eum capiamus," regerit Godfrey, atque laternulam gerens ad limen fenestrae atque solum circum, inspectum accessit. "Hicce est locus ubi ille stetit," fatur, nam vestigia satis erant clara. "Viam qua se reciperet utique paravit," subiungit, dum laternulam huc et illuc versans, plagam eius per caespitem indagabat, herbae tamen adeo erant densae ut nulla species vestigiorum reperiri posset.

Lentis gressibus itaque in domum redivimus, quo facto, Godfrey ad arcam ulterius explorandam consedit.

"Vires meas omnino excedit," tandem fatetur; "nec alio me modo confido forulum reperire posse quam securi. Non tamen lubet istam rem comminuere—"

"Nec miror! Id enim esset quasi Venerem Miloniam contundere."

"Vix tantum esset nefas. Tamen in praesenti eam haud confringemus. Enchiridia de occultis forulis prius evolvam—aliquid fortasse quod mihi usui esse possit reperiam."

"Ac tandem," spe deiectus respondi, "idgenus forulos plane non exstare reperies."

Sed Godfrey nutu capitis id negavit.

"Ego vero, mi Lester, hac in re tibi minime assentior. Paciscor tecum lurconem eum, qui nos speculabatur, hos sine labore momento temporis posse reperire."

"Certe ipse perquam verebatur ne tu quoque id posses."

"Non sine causa," acriter refert Godfrey. "Cras iterum agrediar. Unum tamen videndum, ne amicus noster, qui oculis illis ardentibus est, nos antevertat."

"Tabulae illae satis firmae sunt," respondi, "nec Parks stultus est."

"Vera memoras," probat Godfrey, "fori illi satis sunt firmi—denis minutis eum arcebunt—vix diutius. Quod ad Parks attinet, is vix dena minuta secunda duraret. Tu quidem singularem huius nebulonis indolem capere non videris."

"Vesperi hesterno," inquam, verborum eius recordatus, "admiratione illius ductus, tamquam maximum nostrorum temporum malefactorem eum memoravisti."

"Equidem non diffiteor," ait Godfrey in me renidens, "rem paullo plus iusto exaggerasse mihi contigit. Quid si eum unum dixerim maximorum—certe satis magnum qui nos, nisi admodum caveamus, circumvenire possit. Interim consultum duco Simmonds per nuntium rogare, ut ad custodiendam domum binos submittat lictores. His foris, Parks autem intus, vigilantibus res satis tutae existimari poterunt."

"Ita et mihi videtur," respondi. "Horum praesidio totum exercitum repellere parare videberis. Caeterum quis tandem iste hirquitallio[1] est, Godfrey? Nam tu eum formidare videris."

"Timeo eum profecto, si ille is sit quem esse arbitror—quod quidem modo mera est hariolatio. Exspecta tamen diem unum vel alterum. Nunc Simmonds evocabo."

Dum hic ad telephonum secessit, ego iterum ante arcam speculabundus consedi, eamque stupens mirabar. Quaenam insidiae illae erant, meditabar mecum, quae circa hanc arcam veluti centrum, texebantur? Quisnam ille erat quem Godfrey tam formidolosum sibi fingebat? Curnam ille Vantine victimam sibi selegit?

Godfrey interea dum ego in his arcanorum ambagibus coecutiebam, revertit.

"Factum est," ait. "Simmonds duos ex optimis suis delegit ad hanc domum custodiendam." Pauca momenta stans demirabatur arcam. "Cras mane redibo ad iterum tentandum," prosequitur; "interim manutium cataphractum in sella reliqui, si fortasse tu ipse, Lester, tentare velles . . ."

"Dii meliora!" obtestabar. "Interim satius erit Parks de tuo adventu edocere, ut te intromittat. Futurum spero ut te, Godfrey, non cadaver hic postratum inveniam!"

"Idem et ego! Non tamen id futurum exspecto. Recte mones; dic Parks, sodes, ut me, quandocunque venero, intromittat. Nunc vero de Rogers."

"Quid de eo?"

"Rem mecum perpendendo reperi expedire ut eum hac vespera quaestionibus urgeam. Sed fortasse praestabit donec plura congessero exspectare." Post brevem ad cogitandum moram, "id faciam," inquit, "exspectabo. Ne errem, perperam nihil faciam."

Deinde una in ambitum prodivimus, monuique Parks ut Godfrey, quandocunque domum intrare vellet, admitteret. Rogers usque in camula sedebat adeo moestus ac deiectus, ut eius miserescerem. Interim reputando mecum perspicere coepi et exspectare futurum, ut Rogers, quidquid ab eo rescire vellemus, si modo unius diei aut duorum moram interponeremus, quin cogamus sua sponte fassurus esset, siquid a nobis celasset.

Hanc meam sententiam per gradus descendens Godfrey aperui.

"Recte fortasse ea de re sentis," putabat ipse. "Nec ille misellus mihi pravus videtur. Aliquid illi evenit—aliquid circa illam mulierem—quod ipse nunquam sit eluctatus. Experiendum nobis erit quid id fuerit. Eho, ecce hic sunt homines Simmonds nostri," ait ipse dum Lictores duo ante domum constiterunt.

"Tune herus Godfrey es?" alter quaerit lictorum.

"Is sum," respondit Godfrey.

"Herus Simmonds adventum nostrum tibi, si hic esses, significare nos iussit."

"Consilium nostrum est," ait Godfrey, "ut vos domum custodiatis—custodiatis undique—circuite eam penitus, dateque operam nequis eam appropinquet."

"Tenemus, mi Here," quo dicto digitos ad galeam levaverunt, tum unus circuivit ad posticam domum, alter vero a fronte stetit.

"Si hi se fortasse occulerent," suasi ego, "nebulo ille auderet reverti, et sic intercipi posset."

Godfrey tamen capitis nutu negavit.

"Reditum eius experiri nolo," inquit, "satius habeo eum absterreri. Consultius est ut nos cavisse intelligat." His dictis praeterlabens pilentum gestu accersens, scamellum eius uno pede ascendit, tum, "Iam te, mi Lester," inquit, "antea docui me eum formidare. Tu fortasse me iocari putavisti, at id non ex ioco dixi. Nunquam in vita mea magis serio locutus sum. Ad officinam *Record*," ait pilentario, strepentibusque rotis avectus est me post eum diutius spectante.

Ut domum versus progrediebar, agere, quin de isto arcano homine, qui animum Godfrey tantopere affecerat, serio cogitarem, non poteram. Nunquam memini eum de se cum ullo adversario conferendo dubitare; at nunc congressum fugiebat, aut certe reformidabat—ne scilicet superaretur aut eluderetur! Quantus sic honor huic arcano ignoto tributus sit nemo nisi ego divinare potui.

Tum vero cachinnum illum derisorium recolendo aliquantum et trepidavi. Dein per humerum respectans gressus meos acceleravi, nam si Godfrey sibi timendum putavit, quanto magis id mihi conveniebat! Pudore quodam agnovi me allevari quum ad contubernium meum perveni Marathon, ianuamque meam obseravi.

Antequam tamen decubuissem, a Godfrey iterum nuntium accepi, per telephonum enim evocatus, vocem eius agnovi.

"Nihil nisi te docere cupivi, Lester," inquit, "recte te divinasse. Mysteriosus ille Francus navi *La Touraine* huc pervenit, egressus autem est heri meridie, vectus vero erat interstegio; caeterum institoribus de eo nihil constabat. Quo circiter tempore ad Vantine pervenit?"

"Circa horam secundam, ut puto."

"Itaque a navi rectá eo ivit, ut tu putavisti. Hinc palam fit quare ignotus omnibus fuerit. Societas navigatoria sacciperium quondam suum possidet. Faciam ut id cras aperiant, tum quis fuerit fortasse cognoscemus."

"Verum, Godfrey," interpello ego, "quid de isto altero catulastro—de homine oculorum ardentium? Mihi iam medullam ustulat!"

"Noli id pati, mi Lester!" ait ridens. "Nullo in discrimine versamur, nisi dum ad arcam prope sumus! Tempestas circum eam saevit. Nihil plus modo dicere queo. Sospitem tibi noctem! Vale multum!" quibus dictis auscultatorium pependit.

[1] *Hirquitallio, -nis*, sive *hircitallio*, iuvenis hircus, hoedus, hoedulus, ephebus, catulaster, adolescens virilitatem affectans.

CAPUT XIII

Egregius quidam Salutator.

Postero die, paullo post meum in officinam adventum, ministellus, solemni quodam agendi modo, a cuius moribus perquam alieno, schedulam mihi offerebat, quam ego non parum stupens aspexi. Visá eá, fateor, et mihi verecundus reverentiae timor subrepsit, quandoquidem tessella nomen ferebat Sereni Hornblower.

Caeterum nomen satis ignotum praeterquam legumdoctis grandium orientis trium urbium, Neo Eboracenae, Philadelphenae atque Bostonciae; nam Serenus Hornblower nunquam est functus publico munere, nunquam verba publice fecit, nunquam respondit allocutioni epulari, inter delectos publice nunquam sedit quantum constat, dicam[1] in curia publice nunquam pertractavit, nunquam causam coram iuratis dixit—uno verbo, nomen eius in diurnis nunquam, ullo modo, iactatum est, et tamen proventus sui proventus cuiuscunque advocati huius regni ita superaverunt, ut hi triginta libellae[2] tantum esse viderentur.

Etenim Serenus Hornblower iuriumconsultum optimatum nostrorum fiduciarium egit. Id munus ipse multos annos gessit, atque fama fert nullum unquam in publicum probrum devenisse. Clientes summá curá selegit; negotia millionariorum Pittsburgicorum, tametsi perquam fructuosa,

nunquam non recusavit; sed magnopere sibi cordi esse videtur, eoque superbit, ut opinio famaque vetustiorum familiarum, etiamsi progenies earum quandoque in turpissima inciderint probra, sarta tecta servarentur. Siquis e prosapia sit "Pilgrims,"[3] aut "Patroons,"[4] herus Hornblower nullam amplius commendationem ab eo exigit.

Prudentiá et sagacitate in clientes incredibili cluet; et tamen quibus contigit adversas sibi partes eum tueri, post haud multum temporis senserunt sub involucris mollibus byssinis pugnum maxime formidabilem loricatum delitescere. In summa, ipse vir erat omni numero mirabilis, qui si permoveri posset ut commentarios vitae actae scriberet—quod quidem extra limites rerum possibilium positum est—lectoribus delitias praeberent vere mirificas. Mihi antea nunquam contigit sive privatim, sive per negotium, eum convenisse, proinde cum aviditate quadam ac zelo ministellum sine mora in officinam meam eum invitare iussi.

Verumtamen Serenus Hornblower aspectu nihil horum prodidit. Fama eius facile suscitare poterat opinionem alicuiusmodi hominis medii inter Uriah Heep atque Sherlock Holmes, atqui huius in aspectu nihil dissimulantis, nihil insimulantis discernebatur. Quin vir ipse erat mediae aetatis, bono animo vigoreque turgens, paullo corpulentior, vultu vegeto ac raso, oculis admodum caesiis, caeteroquin bene pastus, morsibusque mentis mali consciae solutus. Si illi in Latavia obviam factus fuissem, eum pro mimo, vel histrione perito ac maturo habuissem. Aliquid in eius intuitu Iosephum Jefferson in memoriam aspicientis revocabat—fortasse clari et caesii eius oculi. Iste ipse aspectus in causa esse poterat cum indole aperta et audaci quare in suis coeptis tanto successu floreret.

Manibus ultro citroque porrectis, sede capta, protinus in medias res, ob quas venerat, pedibus ivit. Si nunc, ubi iam

perspectam habeo delicatam rei naturam, hanc rem mecum reputo, etiam magis admiror paratum patulumque eius animum; quo tamen plus haec recolo eo magis mihi persuasum est eum omnia in antecessum minutatim excogitavisse quid mihi dicturus esset. Quicunque propositum in antecessum elaboratum mente serena, acsi nihil praeparatum esset, animo placido exsequi valet, suis aemulis necessario longe antecellit.

"Mi Here Lester," fatur ille, "ex auditu teneo te bonorum Philippi
Vantine administratorem esse."

"Nostrum consortium est," correxi eum.

"Sed tu, in persona, negotiis eius attendisti?"

"Vera memoras."

"Ipse, ni fallor, veteratae supellectilis exstitit coactor."

"Ita fuit."

"Novissimoque suo in Europa itinere, unde nuper rediverat ab Armand et
Fils, Parisiis, arcam Boulé praestinavit."

Quendam sensum stuporis reprimere haud poteram.

"Remne agis Armand et Fils?" quaerito.

"Minime. Rem cuiusdam matronae ago, quam pro re nata Matronam X appellabimus."

Cogitatio animum mihi subiit Matronam X, mysteriosamque mulierem
Francicam unam fortasse eamdemque esse. Dein ut

absonam respui. Serenus
Hornblower clientem idgenus non acciperet.

"Herus Vantine arcam eiusmodi revera emit," respondi.

"Estne ea in tua possessione?"

"Est in suis aedibus quaedam arca Boulé Parisiis submissa, sed paucis ante suum decessum horis me docuit herus Vantine non eam easse quam ipse praestinavisset."

"Aisne errorem in transmittendo factum?"

"Sic rem existimavimus, atque remulcale ab Armand et Fils id confirmavit."

Herus Hornblower parumper deliberabat.

"Ubinam est arca quam herus Vantine revera praestinavit?" quaerit denique.

"Omnino nescio. Fortasse adhuc Parisiis est. Verum delectum quemdam eorum exspecto me brevi visitaturum, qui rem nobiscum componat."

Salutator meus iterum conticuit, et obliviosus frontem fricabat.

"Valde est curiosum," fatur tandem. "Si arca usque Parisiis esset, putandum foret errorem agnitum fuisse antequam mea cliens de ea sciscitata esset."

"Complura alia circa hanc rem plane sunt curiosa," dixi.

"Quidquamne obstabit quominus mea cliens arcam aspiciat, Here Lester?"

Nunc meum erat dubitare.

"Here Hornblower," denique respondi, "nihil te celari velim. Est quoddam mysterium circa istam arcam, quod solvere pares non fuimus. Fortasse legisti relata de mysteriosa morte heri Vantine, alteriusque cuiusdam Franci; uterque mortuus est in eodem cubiculo domús Vantine, uterque, ut videtur, ex eadam causa."

Ipse annuit.

"Existimasne hanc arcam ullo modo ad causam accessisse?" cito quaerit.

"Ita credimus; licet hucusque nihil probare potuerimus. Sed nunc arcam solertissime custodimus. Per me nihil quidem obstat quominus cliens tua eam videat, indulgere tamen ut tangat non possum—aut saltem quin sciat cur id agere velit. Memineris nihil te mihi revelasse quare ipsa eam videre vellet."

"Atqui ego, Here Lester, paratissimus sum causam tibi revelare," inquit. "Nihil nisi aequum fecero si te id docuero. Relata quum audiveris, si tibi ita visum fuerit, Matronam X ad arcam visendam acciemus."

"Esto," adstipulor illi.

Ipse in sella reclinatus, vultu gravi,

"Cliens mea," inquit, "est prosapia clara cuiusdam familiae Americanae—perquam illustris. Tribus annis ab hinc nupsit cuidam nobili
Franco. Divinare fortasse poteris nomen, ego tamen multo malim ut neuter
nostrum proferat."

Capite annui.

"Nobilis iste tam prodigus quam infidus exstitit. Fortunas meae clientis larga manu solebat diffundere. Pellices suas coram ea publice ostentare consuevit. Quin et tentare audebat hanc adigere ut unam earum apud se exciperet. Fateri audeo me eam, quod hunc non iam dudum reliquisset, stultam iudicavisse. Fiduciarii denique fortunarum matronae se ingesserunt, nam pater mulieris, pro sua prudentia, partem fortunarum filiae in fiduciam tradidit. Hi debita mariti dissolverunt, stipendium ei statuerunt, eiusque debitores monuerunt futura eius debita solutum non iri."

Per hoc tempus nomen suae clientis utique iam divinavi, siquidem singularia haec ore omnium iam diu longe lateque ferebantur, nec est cur moneam historiam hanc me attentione etiam augescente auscultasse.

"Stipendium principe dignum est," pergebat herus Hornblower, "at hero X id nequaquam suffecit." Nullum stipendium sufficeret—quo maiorem acciperet pecuniam, eo plures comminisceretur modos ad eam disperdendam. Itaque, tandem fur evasit. Eo denique devenit ut producta artis, venderet, quibus suae domus affluunt, quae quidem reapse meae sunt clientis, empta enim eius pecunía fuerunt. Binis circiter ante septimanis cliens mea, post aliquantum morae in castello suo in Normandia reversa, suas urbanas aedes prope denudatas reperit. Tapetae, tabulae pictae, statuae—omnia divendita erant. Inter res caeteras ab eo direptas fuit arca Boulé, qua cliens mea velut scriptoria uti consuevit. Arca erat pretiosissima; attamen non valor pecuniarius meam clientem sollicitudine angit, et ad eam recuperandam urget."

Hic paulisper conticuit, clarandaeque voci studebat, unde probe intellexi delicatissimam historiae suae partem eum attigisse.

"Herus X, memor decoris dumtaxat," tractim prosequitur, "ut saltem ipse sibi persuaserat, consilium cepit epistolarum suae uxoris servandarum. Hoc propositio contenta forulorum in sellam quamdam profundi iussit. Erat tamen ibi forulus ipsi prorsus ignotus—forulus occultus, clienti tantum meae cognitus. Iste forulus manipulum occultabat epistolarum clientis meae, quas ipsa summa sollicitudine recuperare conatur. De indole harum nihil memorabo—ego, profecto, vix quidquam de iis scio, siquidem revera nec ad rem meam faciunt. Ipsa tamen me certiorem fieri voluit, tranquillitate animi, nisi ea recuperentur, se prorsus nullá frui posse."

Iterum annui. Nihil profecto erat quare adhuc plus diceret. Etiam ego mecum reputavi infido marito si par pari rependat, revera nullum ius ad conquerendum competere.

"Cliens proin mea," prosequitur herus Hornblower sensim laetus viarum maxime ardua se feliciter superasse, "ad recuperandam arcam opus confestim aggressa est. Reperit eam Armand et Fils venditam esse. Eos quum sine mora adivisset, responsum tulit arcam iam hero Vantine venditam, et etiam huc transmissam esse. Proinde, sub specie suam familiam visendi, proxima navi se itineri committit eo vero proposito ut ab hero Vantine facultatem forulos aperiendi, litterisque potiundi impetraret. Mors eius suam spem frustravit, et sic destituta, speque deiecta, ad me refugit. Vix est cur addam neminem ex sua familia quidquam de his rebus scire, atque plurimum referre ut maritus suus de iisdem nunquam vel suspicetur quidem. Suo itaque nomine te appello, veluti testamenti heri Vantine exsecutorem, ut eas litteras propriae dominae restituere ne graveris."

Miram hanc historiam momento temporis mecum volvens sedebam, tentabamque eventus novissimi bidui, utrum inter se conveniant, componere. Non quadrarunt autem—saltem

non cum mea theoria de causa horum eventuum. Non enim profecto Matrona X sua secreta veneno vindicatura erat!

"Numquis praeter tuam clientem novit quidquam de istis litteris?" quaesivi denique.

"Haud ita puto," respondit herus Hornblower, languide in me renidens. "Non enim eius tenoris hae sunt ut mea cliens eas cuique confidat. Nam hae, ut tu, mi Here Leste, iam suspicari poteras, revera infamatoriae sunt. Necesse est ut eas quocunque demum pretio recuperemus."

"Ut plane constare oportet," monui ego, "minimum duos semper necesse est quibus litterae cognitae sint—auctorem nempe atque cui missae sunt."

"Id non me praeterivit, auctor tamen harum litterarum mortuus est."

"Mortuusne?" repetivi.

"In duello paucis ante mensibus caesus est," explicat gravi vultu herus
Hornblower.

"Ab hero X?" rogavi statim.

"Ab hero X," refert herus Hornblower, pressis labiis residens, quasi nihil amplius de ea re memoraturus.

Nec profecto erat quare plus diceret. Satis enim de legibus, deque moribus ac rationibus Francorum cogitandi intellexi ad perspiciendum, siquando litterae illae in manus heri X incidissent, futurum esse ut ipse prorsum rerum potiretur. Uxor sua omnino in sua esset potestate. Atque cogitatio mihi animum extemplo subiit eum quodam modo certiorem factum has litteras exstare, omnibus igitur viribus, ut iis

potiretur, satagere. Hoc cogitatum satis esse argumenti arbitrabar, quare in partes uxoris eius flecterer.

"Certo scio," tandem respondi, "herum Vantine sine dubitatione indulturum fuisse ut cliens tua forulos aperiret, suasque litteras tolleret. Ut testamenti sui exsecutor ego quoque indulgeo, nam cuiuscunque sit arca, litterae sine dubio Matronae X sunt. Haec utique ea conditione nituntur ut arca vera et genuina sit. Verumtamen, Here Hornblower, monitum te esse volo mihi persuasum esse duos viros, eos forulos aperire conatos, occisos fuisse," explicui illi adversum me sedenti, auditisque eventibus obstupefacto theoriam meam de morte Philippi Vantine, Francique ignoti. Denique his verbis finivi: "Verosimile mihi videtur Vantine, dum arcam exploraret, casu in forulum incidisse; at vero alterum eum hominem foruli ignarum non fuisse perinde atque contentorum, nullum intercedere dubium."

"Hem!" interpellat salutator, "multas et miras in vita mea audivi recitari fabulas, parem huius nunquam. Nihilne tibi de isto Franco constat?"

"Nihil, nisi quod ab Havre per *La Touraine*, superiore die Iovis huc appulit, et quod a crepidine rectá huc vectus est."

"Mea quoque cliens per *La Touraine* advenit—quod tamen casu ita factum est."

"Fieri potest," inquam, "sed vix casu factum est ut et ipse et cliens tua gratia contentorum foruli venissent."

"Aisne tu . . .,"

"Aio equidem fieri potuisse ut mysteriosus ille Francus ab hero X missus veniret, Matrona X nempe casu quodam improviso arcanum de litteris poterat marito suo prodidisse."

Herus Hornblower subito surrexit. Animo admodum turbatus esse videbatur.

"Fortasse vera mones," inquit. "Ego clientem meam confestim edocebo. Concessum nuntiabo illi licere arcam inspicere; atque si haec vera esse comprobabitur, licere forulos aperire litterarumque fasciculum tollere."

"Si discrimen subire voluerit," assentior ego.

"Conventum est; simul atque eam convenero, te evocabo," inquit. "Utcunque tamen, gratiam tibi ob urbanitatem tuam habeo," quibus dictis discessit.

Verosimile est eum hinc recta via ad aedes familiae in Platea iter direxisse; aut vero Matronam in sua officina praestolatam esse; nam intra dimidiam horam me evocavit.

"Cliens mea," inquit, "arcam sine mora visum ire cupit. Ipsa animo tota est concitata, praesertim ex quo intellexit alium quempiam forulum temerasse. Quandonam tibi commodum est nobiscum venire?"

"Licebit illico," respondi.

"Proinde ad devehendum te confestim tibi aderimus. Quindenis aut vicenis minutis plus haud sumemus."

"Placet," respondi, "adventum vestrum opperiar. Utique testem mecum accersam."

"Aequum facies," assentitur herus Hornblower. "Nihil ex nostra parte oberit. Ergo in vicenis minutis."

Primum quam poteram officinam *Record* appellavi, sed Godfrey aberat. Eum, more suo, aliquis respondit, usque ad dimidium postmeridiem venire non solere. Evocavi

domicilium eius, sed nullum tuli responsum. Tandem aedes Vantine evocavi.

"Parks," appello eum, "in societate aliquorum mox apud vos adero, qui arcam inspicere velint. Consultum esset camulam e via amoliri et cuncta lumina accendere."

"Lumina iam sunt accensa, mi Here," respondit.

"Iam accensa? Quidnam rei est?"

"Herus Godfrey aliquantum hic est moratus, re illa, arcá, fatuando."

"Itane, revera?" tum mihi in mentem venit facile potuisse me divinare ubi ipse moraretur. "Fac eum Parks, certiorem me cum aliquibus arcam visum mox adventurum, meque velle eum rerum gerendarum testem habere, roga itaque eum ut maneat."

"Faciam, mi Here," respondit Parks.

"Tranquillane omnia?"

"Sunt; duo lictores totam noctem circum domum degerunt, ego autem et
Rogers intus vigilavimus."

"Rheda heri Hornblower ad ostium adstat, mi Here," pansa ianuá ministellus significat.

"Factum bene," respondi. "Protinus aderimus, Parks. Vale interea!" et penso auscultatorio, laenam celeriter indui.

Tum, ut pileum deprompsi, cogitatio subitanea mihi incurrit:

Si ignotus ille Francus revera emissarius heri X fuerit, Matrona eum facile agnoscet. Vaga quidem hariolatio, digna

tamen quae tentetur! Accessi igitur ad scriptoriam, exprompsi effigiem mihi a Godfrey datam, in sacculum recondidi. Hoc peracto, ad tollenonem properavi.

[1] *Dica, -ae*, est lis coram iudice, dicam inferre, vel impingere, aliquem lite prosequi; Graecum est, sed Romanis iurisconsultis usitatum.

[2] Phrasis Americana, quae idem fere valet quod si Romano more diceremus: Proventus eius teruncio censendus est, loco talentorum.

[3] Vocabulum Latinum corruptum, e Latinitate Medii Aevi, quum *peregrinator*, et *peregrinus*, vocabatur viator, qui zelo religionis ductus, Hierosolyma, aut quemlibet locum fama miraculorum cluentem longis itineribus visum, et ad sacra exercenda adiit. Itali inde cuderunt *pellegrino*, ex hoc Germani *pilger, pilgram, pilgrim*, unde Angli suum desumpserunt, modo tamen eo vocabulo Anglos designant, qui primi in eam partem Civitatum Foederatarum demigrarunt, quae Neo Anglia appellatur. Horum soboles antiquitate nobilitateque generis clarescere vulgo existimantur.

[4] Vocabulum Latinum Germano-Batavorum orthographia exscriptum, quo domini latifundiorum in Civitate modo Neo Eboracena, quondam Neo Amstelodamensi, certis privilegiis fruentes indicabantur.

CAPUT XIV

Matrona Velata.

Tres in rheda erant. Herus Hornblower tergo ad equos verso sedebat, duae autem mulieres sibi e regione sedes occupabant. Harum utraque nigro erat induta, spisseque velata, indicium tamen inerrabile, quo matrona et ancilla dignoscuntur, non defuit. Hoc quidem discrimen declaratu difficillimum esset, tamen exstitit.

Herus Hornblower rhedam intrantrem retro in me spectabat.

"Testem," inquit, "quemdam memoravisti."

"Ipse iam domi Vantine est," explicui, iuxtaque eum consedi.

"Hic herus Lester est," me sistens fatur Hornblower, et matrona ad haec, quam illi ex adverso sedentem, ut dominam statim agnoveram, nutu capitis respondit.

Nulla alia verba fuerunt prolata. Rheda versus Latamviam vecta, iter in eadem tali prosequebatur celeritate, quali in tanta frequentia provehi poterat. Subinde oculos in mulieres nobis adversas conieci, earumque disparitatem morum facile observare poteram. Altera prorsus tacita sedebat manibus in gremio, capiteque pendulo, admodum composita; altera vero inquieta et mobilis, haud par quae digitorum nervosam agitationem contineat. Non parum mirabar quare ancilla

magis quam sua domina agitaretur, ac tandem morum diversitatem neglectui institutionis attribuendam iudicavi. Contrarietas tamen mihi haud ignoranda erat.

Viá denique Decimá rheda iterum ad occasum iter flectit; inde prope attigit Compitum Washington, pervenit in Plateam, ac denique ante aedes Vantine constitit. Herus Hornblower mulieribus descendentibus adstitit, ego autem per gradus ducem me praebui. Sed ubi ad fastigium graduum attigimus, et in conspectum sertorum funebrium ex ostio pendentium perveneramus, matrona velata leni exclamatione substitit:

"At ego nescivi," inquit. "Tamen fortasse exspectare satius esset.
Ignara eram . . ."

"Nulli sunt propinqui, mea Hera, quos offendamus," interpello ego. "Quod vero ad mortuum attinet quid illi refert?" et tinnii.

Parks ostium adaperuit, quo per nutum consalutato, praeivi, advenasque in conclave induxi. Godfrey me ibi praestolabatur, cuius animum ex oculis conspicuum, et ex ingressu heri Hornblower mulierumque excitatum perspexi.

"Hic meus testis est, herus Godfrey," inquam, sistens hunc, illi autem: "herum tibi sisto Hornblower."

Godfrey se proclinavit, Hornblower autem suaviter in eum renidens illum excepit.

"Nisi prudentia heri Godfrey mihi probatissima esset, eum ut testem recusarem," fatur Hornblower, "sed ea mihi iam experientiá constat, nec me falsum iri probe novi."

"Unus nonnisi est cui ratione prudentiae et constantiae libenter cedam," respondit Godfrey in eum renidens, "is autem est Hornblower. Ipse classem per se sibi propriam efficit."

"Multas tibi refero gratias," advocatus respondet graviter proclinatus.

Interim dum hae civilitates ultro citroque miscebantur, mulier, quam ancillam indicaveram, consedit, ac si pedes eam sustinere recusarent, manusque nervose torsitabat; vel ipsa adeo hera sua eius rei taedio affici videbatur.

"Arca hic intus est," eloquor ego, atque matrona velata duoque viri eo me sequebantur.

Arca in medio cubiculo stabat prorsus eodem modo ut fatali ea nocte, omniaque lumina ardebant. Mihi intranti manutium chalybeium Godfrey sub oculos cecidit.

"Estne ista vera illa arca, mea Hera?" quaero ego.

Momentum temporis contemplabatur eam, manibus ad pectus pressis et strictis.

"Est!" respondit halitans, paeneque cum singultu.

Fateor me stupefactum esse. Nunquam credidi eam ipsam veram esse; imo ne modo quidem mihi persuadere poteram quemadmodum ipsa eadem esset.

"Certene tibi constat?" incredulus quaesivi.

"Existimasne me in eiusmodi re falli?" obtestatur ea, "mihi crede hanc arcam quondam meam fuisse. Indulgebisne?" subiungit, unoque gressu propius ad eam accessit.

"Exspecta parumper, mea Hera," interpello eam. "Antequam arcam contrectes monitam te esse volo perniciem te tibi invocaturam."

"Perniciem, ais tu?" meque stupens contuebatur.

"Extremam perniciem, ut iam hero Hornblower explicui. Causis fretus sufficientibus credo iam duos viros temerare occultum illum forulum audentes factum vita luisse."

"Ni fallor herus Hornblower aliquid eius generis mihi memoravit," secum mutiebat; "at haec omnia utique errores sunt."

"Forulum ergo nullum venenum tuetur?" sciscitor.

"Venenum?" repetit ipsa prorsus ignara, mucinio ad labia levato. "Non capio."

Iam sentiebam theoriam meam funditus collabi et radicitus everti.
Godfrey intueri ausus non sum.

"Non ergo mechanismate forulus nititur, mechanismate, quod quum forulus evellitur duos dentes venenatos in manus aperientis eiaculetur?"

"Nullo modo, Here Lester," ipsa respondit stupens. "Mihi crede mechanisma idgenus hic nullum esse."

Iam et ultimam salutis tabulam, et hanc exilem apprehendi.

"Mechanisma interponi poterat ex quo ex tua excessit potestate," suggessi.

"Id fieri potuisse non negaverim," assentitur ipsa, quamquam vidi eam persuasam non esse.

"Nihilo tamen secius, mea Hera," appello eam, "evulsura forulum, adhibendo isto manutio propriae consules saluti," quibus dictis manutium Godfrey, in sella depositum illi porrexi. "Nihil attinet ullum, etiam minimum, incurrere periculum. Sine obsecro," et his verbis rectae manui eius manutium induxi.

Ea re occupatus oculos meos in Godfrey conieci. Ipse tali obtutu pascebat oculos in matrona velata stupefactus, ut ego voluptate fere suffocarer. Raro admodum mihi contigit Iacobellum Godfrey ambagibus captum cernere, sed nunc certe fuit captus!

Matrona velata manutium non sine risu excepit.

"Nuncne licet mihi forulum aperire?" quaerit.

"Licet, mea Hera."

Ad arcam accessit, me et Godfrey adstantibus. Tandem denique mysterium, quod nos hactenus ludificaverat, solvetur. Atque hoc mysterio patefacto, ad finem vergent nostra poetica aeriaque somnia, quae nos tantis laboribus moliti eramus.

Quasi per instinctum fenestram tabulatam aspectabam, sed lunulam lucis in ea nihil obumbrabat.

Interea matrona velata in arcam proclinata digitos suae dextrae super aeneum opus musivum lateris laevi ad tangendum disposuit.

"Aliquantum male dextrum mihi est," ait illa, "siquidem semper laeva manu uti consuevi. Animadvertite me tribus in locis digitis premere; ad forulum tamen aperiendum ista loca certo in ordine sunt premenda—primus iste, dein iste, ac tandem iste."

Protinus acutum sonum aeris tinnientis audivimus, et a laevo latere arcae crustum metallicum recidere.

"Ansa est," fatur matrona velata, et nihil dubitans, dum mihi cor haerebat, ansam apprehendit, parvulumque forulum evellit.

"A!" reiectoque ridiculo manutio, fasciculum litterarum schedarumque in forulo occultum prehendit et tollit. Dein nisu quodam se continebat, vittulam, quae fasciculum litterarum ligatum tenebat, resolvit, anteque oculos nostros dena duodenaque litterarum involucra stravit. "Uti videbis, Here Lester," submissa ait voce, "hae merae litterae sunt, tibique persuadere velim easdem meas esse."

"Nihil dubito, mea Hera," respondi. Illa autem allevati cordis suspirio, et quasi cum singultu, fasciculum religavit cauteque in sinu pallae suae abdidit. "Est quaedam res," nunc ego subiunxi, "quam tu, Hera mea, pro me forte perficere posses."

"Libentissime faciam," susurro respondit.

"Ut iam hero Hornblower explicui," prosequor ego, "nudius tertius hoc in conclavi duo occisi sunt. Sive potius in cubiculo contiguo fuerunt occisi; sed nos putavimus eos vulnera lethalia hic accepisse. In hoc nos errasse videmur."

"Sine dubio," confirmat ipsa. "Praesidio mechanismatis tam fabulosi quam tu memoravisti, here Lester, forulus ille munitus et fretus nunquam fuit. Saltem non ex eo tempore quo ego eam possederam. Traditum, ut scis, tenemus hanc arcam pro Matrona quondam de Montespan confectam fuisse."

Liberius nunc iam verba faciebat, ut videtur magno onere levata—nec profecto mihi constabat quam magno!

"Herus Vantine ipse haud minus suspicabatur," inquam. "Ipse in re supellectili perquam erat versatus, fuitque aliquid insoliti circa hanc arcam, quod eam herae Montespan quondam fuisse propriam, suadere videbatur. Huic rimandae erat intentus quum mors eum supervenit. Quid ille alius tum fecerit, nescimus, sed si declarare possumus quis ille fuerit multum iuvabit."

"Necdum declaravistis?"

"Nihil quidquam de eo scimus, praeterquam quod Francus fuit, aut sic nobis visum est, et quod per *La Touraine* biduo ante huc pervenit."

"Eadem ipsa fuit navis qua ego vecta sum."

"Mihi proinde in mentem venit te fortasse, mea Hera, eum visu novisse—aut fuisse tibi alio quodam modo notum."

"Quid ei nomen fuit?"

"Pagella quam ipse hero Vantine submiserat nomen Theophili d'Aurelle ferebat."

Capite abnuit.

"Nomen hoc, mi Here Lester, nunquam antehac audivi."

"Nomen et nos mutuatum credidimus," respondi, "sed fortasse hanc effigiem agnosces," quibus verbis effigiem e sacculo productam illi porrexi.

Hac accepta, accuratius eam aspexit, sed iterum caput quatiebat. Tum ad latus conversa ricaque levata, uberiori luce inspectabat.

"Est aliquid in vultu quod mihi minus ignotum videtur," ait denique, "acsi hominem quondam alicubi vidissem."

"In navi, fortasse," suasi ego, quamvis probe noverim id in navi non contigisse, siquidem hic in interstegio locatus fuisset.

"Haud ita; non in navi. Casteriá meá nunquam sum egressa. Et tamen certe memini eum vidisse—at vero ubi, dicere non queo." "Forte," submissa suggessi voce, "aliquis amicorum mariti tui esse poterat."

Non me praeterivit manum eius hoc ictu tremere, sed ictum hunc emittendum censui. Ipsa tamen forti tulit animo.

"Eadem cogitatio, Here Lester, meum quoque animum subiit," respondit ipsa, "verum ego amicorum mariti mei paucissimos novi; certe non istum. Et tamen—. . . Si quo casu ancilla nobis subvenire posset."

Effigiem manu ferens conclave ingressa est. Ancilla in sella, ubi eam reliqueramus, usque sedebat; manus suae in gremio arcte erant constrictae, quasi maximo solum conatu se compositam continere posset.

"Iulia," affatur eam matrona velata celeri Francicitate, "hic teneo effigiem cuiusdam, qui nuper arcano quodam modo in isto conclavi occisus est. Viri hi, quis ille fuerit, declarari cupiunt. Vultus eius mihi quodammodo notus videtur, verum dirimere nequeo. Cerne, amabo."

Iulia protendit tremulam manum, accepit effigiem, aspexit; tum suspirio longiusculo in solum exsanguis prolabitur, priusquam sive ego, sive Godfrey succurrere potuissemus.

Labenti rica, in fulcro sellae capta haerens, rupta et avulsa est; ac dum prostratam eam aspicio, magnopere sum animo

commotus, quandoquidem mulierem agnovi mysteriosam eam fuisse, cuius effigiem d'Aurelle in interiori sui horologioli gestarat.

Caput XV

Arcanum Franci Ignoti.

Aliquantisper adstiti elinguis, deorsumque in vultum mulieris exoletae enervataeque spectavi; denique Godfrey accessit, eamque intermortuam in grabatum levavit.

"Aliquantulum aquae afferto," fatur ad me conversus, vidique e vultu eius quantopere animo facieque concitatus fuerit.

Ad fores cucurri, raptim aperui. Rogers reperi in ambitu stantem, eumque protinus aquam ferre iussi, ipse in conclave regressus.

Godfrey manus puellae fricabat, dum matrona velata fibulas uncinasque subarmalis eius solvitabat. Ut patet, satis clare haud videre valebat, quamobrem celeri motu manus velum suum sublevavit. Corde accendi coepi quum eam ita humaniter agentem conspexi; ac post singulum obtutum aliorsum me converti.

Etiam animadverti Godfrey ex agnita muliere admodum stupentem ut eam intuitus erat; post quae et ipse oculos avertit.

"En aqua, mi Here," fatur Rogers urceo aquae poculoque mihi praebitis.

Proximo momento oculi eius in mulierem, in grabato prostratam inciderunt. Stupens haerebat, vultusque suus sensim in purpureum mutabatur; dein gutture proprio prehenso, dimidio se divertens concidit prorsus ita ut eum antea egisse videram.

Hornblower, qui mulierem spectabat prostratam, frontemque nervose tersitabat, audito cadentis strepitu se circumvertit:

"Quid, malum!" rauca exclamat voce, ubi videbat Rogers ante suos pedes in solo prostratum, "Quid mali, denique, istam domum agitat?"

Nervorum interim meorum iam tanta erat tensio ut cachinno mihi haud temperare possem. Nisum hunc in clamorem ad accersendum Parks converti; at vultus istius, quum in limine comparuit talis erat, ut in sellam delapsus in cachinnum morbidum solverer.

"Dii vestram fidem!" Parks exclamat.

"Nihil mali," acriter refert Godfrey, "Rogers nostrum alios habet impetus. Afferto ammoniam!"

Parks titubans prodit, Hornblower autem omnium pertaesus consedit.

"Mihi equidem iocus minime liquet," acri in me obtutu mihi obgannit, vultu rubore suffuso.

"Collige te, Lester," me inclamat voce acerba Godfrey, interim urceum mihi eripiens, eoque ad matronam properans.

Ego interea me satis recepi, et quum Parks paullo post ammoniam afferens redivit, ad sublevandum caput Rogers par eram, dum Parks phialam naribus eius adhibebat.

"Praebe sis Parks mihi quoque olfactum," rogo eum male firmus, et oculi mei confestim lacrymis manare coeperunt, sed ne in furorem raperer, evitavi. "Exporrige sis prostratum Rogers, ut distentus iaceret," mandavi Parks halitans, et ipse vertiginosus in solum desedi. Aspicere tamen Hornblower ausus non sum, timebam enim ne stupentem eum videns, iterum in cachinnum morbidum solverer.

Matrona interim aquam in vultum Iuliae inspersit—non parum detrimento faciei eius!—pauxillum exspectabat, tum se erexit, velumque demisit.

"Mox ad se redibit," inquit, ac profecto, pauca intra momenta puella oculos aperuit, et stupens circumspexit. Dein tremor violentus eam obsedit.

"Quidnam rei est, Iulia?" hera sciscitatur, manu eius prehensa. "Tune eum virum novisti?"

Raucus singultus solum erat responsum.

"Rem mihi narrabis!" pergit hera voce tranquilla, sed firma. "Forte seclus quoddam est perpetratum. Cuncta fatearis oportet. Prudentiae horum virorum secura te confides. Novistine istum virum?"

Puella capitis nutu probavit, oculosque clausit, sed guttae tepidarum lacrymarum per genas eius decurrebant.

"Parisiisne?"

Puella iterum annuit.

"Tuusne fuit amasius?"

Tertium annuit; tertium lacrymae manant.

"Nunc iam memini," inquit matrona subito. "Semel eum cum ista vidi. Quod negotii ipsi hac in domo fuit?" pergit illa asperius. "Eloquere!"

"Hera mihi nunquam condonabit!" singultabat puella, unde ego coniectavi puellam de se magis quam de amico sollicitari. Herae quoque idem occurrisse verosimile erat, nam vox eius asperior fieri coepit.

"Tenta modo," respondit. "Fac probe intellexeris, fatendum tibi esse—si hic minus, tum coram officiali lictorio."

"Vae, absit!" clamitat Iulia, subito se erigens. "Dii meliora! id viva non sustinerem! Hera nunquam tam foret crudelis!"

"Ergo fatere nunc!" mandat matrona velata immisericors.

"Esto ut vis, Hera!" clamat puella, mucinio tersitans oculos, linguá locuta, quae partim Francica, partim Anglica, utpote quam minus accurate calleret. "Narrabo ergo quando ita vis omnia. Proprie enim non mea fuit culpa. Ille is fuit. Non amavi—timui eum. Potestate super me pollebat. Efficere poterat ut omnia patrarem. Ipse etiam verberavit me! Ego tamen ad eum usque redivi!"

"Quí vocabatur?" quaerit matrona velata.

"Vocabatur Georgius Drouet—habitabat Via de la Huchette, haud procul a Via Sancti Iacobi—contignatione suprema, in subtegulino. Ipse nequam fuit—nequam fuit—e quaestu mulierum vixit. Primum ante sex menses eum conveni. Mulieres fascinare novit; eum me magni facere putavi. Dein pecuniam a me mutuam petere incepit, donec omnem quam comparcavi elicuit; tum annulos meos—omnes et singulos!" Sublatis tum manibus ostentavit digitos vacuos. "Mox . . ."

Hic substitit heramque aspectavit.

Ea "prosequere!" inquit; "narra quidquid ad narrandum habeas."

"Novi scilicet Heram quoque . . ."

Iterum substitit. Interim ego ad fenestram perambulavi, ibique, valde commotus, forum ligneum spectans steti.

"Eccur non?" quaesivit aspere, ego autem scire putabam eam revera tergum meum alloqui. "Eccur non? Numquid amari mulieri nefas est? Num mulieri tolerandum est quod Hera toleravit? . . ."

"De ea re satis, Iulia," interpellat matrona velata, voce glaciali.
"Tuam rem fare."

"De forulo occulto novi; vidi Heram aperire, quid celaret, novi. Verum ego erga Heram fida fui; eam amavi; gavisa sum eam reperisse aliquem . . . Hera reminiscetur suam desperationem, suum horrorem, quum ingressa conclave reperit arcam evanuisse, subductam, venditam per illum . . . non secus et ego desperavi—ex omni corde conabar Herae usui esse. Ea nocte conveni istum," nutu effigiem indicans in solo iacentem. "Eum edocui."

Hera sua, quasi in saxum mutata, stetit. Suspicabar eius angorem et humiliationem.

"Ipse a me sciscitabatur—intellexit omnia—forulum, quí sit aperiendus—cuncta. At ego consilia sua nequaquam suspicabar—prorsus nihil suspicationis habui. Verum in navi vidi eum, tum demum intellexi. Eheu, accepit quod meruit!"

Ipsa tota tremebat, manibusque oculos operiebat.

"Nihil plus, Hera, existimo superesse," addidit rauce.

"Nihil ex ista superest historia," fatur Godfrey voce firma, "sed est et altera."

"Quid? et altera?" respiciens in eum quaerit matrona velata.

"Quaere ex ea, Hera, quonam proposito ipsa in hanc domum venerit nudius tertius vesperi, locutaque in isto conclavi cum Philippo Vantine fuerit."

"Non feci!" quiritat puella, vultu flagranti. Mendacium est.

"Esto haud, opus est ut dicat!" immitis pergit Godfrey. "Quisque stultissimus facile divinabit. Venit pro litteris! Consilium ceperat te, Hera, diffamandi!"

"Mendacium est!" iterum quiritat puella. "Veni spe ducta eam servandi, ad . . ."

Impetus singultuum furentem paene suffocarunt.

Matronam velatam contremiscere animadverti, sellam illi supposui, in quam se gratiis per murmur redditis demisit.

"Praeterea testem eius rei habemus," subiungit Godfrey. "Accersamne lictores Hera?"

"Noli, noli!" clamat puella vultu fere cadaveroso. "Edisseram; omnia edisseram. Vel spatium temporis concede!"

Interea ad se possidendum secum colluctans sedebat, cuius rei indicium erat vultus torvus, maculisque striatus. Tum vidi oculos eius pandi, et circumspiciens animadverti Rogers se ad sedendum collegisse, lividaque facie oculos in puellam defixos tenere.

Ipsa, eo viso, fere in furorem acta est.

"Tu is fuisti!" quiritat puella, pugnis eum minitata. "Tu me prodidisti!
Tu, ignave! Ignave!"

At Godfrey, facie admodum severa, manus firmas brachio puellae iniecit.

"Tace!" clamat, "ille nihil nobis prodidit! Imo te tueri conabatur—quamquam cur id tentaverit. . ."

Rogers inani ac sepulcrali risu se ingessit:

"Naturae satis consentaneum feci, mi Here," inquit raucus, "uxor mea est!"

CAPUT XVI

Philippi Vantine Salutator.

Historia, quam nobis Rogers halitando prodidit, sordida profecto erat, quam tamen, quoniam nostram rem obiter tantum attingit, per summa tantum capita carpam.

Octonis aut denis ante annis venustula Iulia—tunc dumtaxat ipsa certe quam nunc venustior fuit!—se ad familiam quamdam, quae vitam sine ancilla Francica vix tolerandam sibi persuaserat, famulatui auctoratum Neo Eboracum venit. Rogers eam convenerat, eiusque ocellis atris labellisque rubris captus, eam deperibat, ac, postremo, eam in honorificum connubium postulavit—haud necessario, praeter dubium!—et in maritum acceptus, ut maritus huius sirenis, cum ea vitam degit per plures menses eventuum plenam. Quodam denique die reperit eam aufugisse.

Ipse, ut fere fit, suam ei concrediderat omnem pecuniam comparcatam—una enim haec fuit conditionum connubii! comparcatum quoque evanuit. Iulia, ut credibile est, desiderio bituminis viarum urbis Parisiorum abrepta fuit; nec praeterea dubitandum Iuliam vitae cum Rogers nuptialis, poesis prorsus vacuae, admodum pertaesam fuisse; et ob id in Franciam aufugisse. Rogers primum sibi eam sequi oportere persuasit; at mox a coepto eam Parisiis reperiendi, nec certus quid et si reperiret eam facturus esset, destitit, fato suo eam reliquit, moestusque se vitae officiis memoriá

eius servatá, se accinxit. Genus affectionis erga eam clam in animo usque superstitabat, et quum ostium aedium Vantine pandens eam in limine conspexisset, se tamquam ceram in manibus eius praebuit.

Iulia cuncta haec, parum pensi habita, vel etiam contemptim auscultabat, nihil quidquam negando, nihil se excusando. Cogitatio, quasi se excusari necesse esset, ne in mentem quidem venit. Historia finitá, ipsa prorsus iterum se possedit, quin et paullo elatior facta est, ni fallor, quum cuncta circum se versari sirenem videret et audiret. Erat hoc totum veluti iuvenescere, proinde grato quodammodo ad Rogers se vertit animo.

"Haec omnia, ut opinor, vera sunt?" matrona velata quaerit.

"Vera, profecto, omnia, mea Hera," respondit Iulia humeri vulsu. "Tunc fui iuvenis, amorque vitae citatioris me rapiebat. Iam sum adultior, facta prudentior—praeterea iam non, ut antea appetor."

"Proinde," inquit hera cum ironia, "nunc iam parata es ad maritum tuum reverti."

"Ea de re iam cogitavi, mea Hera," refert Iulia stupenda simplicitate, "inde ex quo eum hic conspexi, vidique eum in me usque bono esse animo. Refugio pro senecta indigemus."

Furtim observabam Rogers, stupensque cognovi eum hanc mulierem usque animi affectione fovere. Refugium paratum esse videbatur, si Iuliae visum esset salutem suam hic quaerere.

"Aliquantum dubitavi," dein subiunxit, "gratia tui, mea Hera, ubinam ancillam, mei similem, Hera repererit. Nulla praeter me crines suos ut ego concinnare sciens est—nulla nisi ego balneum apparare valet . . ."

"Ea quum solae fuerimus dirimemus," respondit matrona velata. "Verum nunc, eris fortasse tam bono in me animo, ut mihi, quid antea huc veneris, explices."

"Aequum, Hera mea, postulas," seque in sella commodius disposita, Iulia pergit: "Die quodam in navi evenit, ut quum in vectores tertiae classis despectarem, animadverterem Georgium—herum Drouet—solum oberrantem. Me, ut ita dicam, omnino *eversam* et confusam sensi necopinato eum conspiciendo; deinde ipso sursum spectante intuitus nostri concurrerunt, quo facto, ipse accessit et ex imo me eadem vespera se convenire iussit. Illic denique consilia sua mihi primum aperuit. Secundum haec ipse pro se litteris ad evendendum potiri conabatur."

"Cuinam?" quaerit Godfrey.

"Cuicunque, utique qui maximo pretio eas redimere voluisset," respondit Iulia, multum mirata ut res tam plana etiam quaestione egere posse cuiquam videretur. "Litterarum quaeque ipsi herae denis millibus francorum primum erant offerendae; si ipsa abnuisset, Duci—qui certe cupidissimus earum habendarum censendus erat, offerendae fuissent!"

Matrona velata aliquantum tremebat, manusque nisu quodam naturali ad pectus, expertura utrum manipulus litterarum, ut pretiosissimus thesaurus, revera in tuto esset, attollit.

"Nocte ea in casteria mea," perrexit Iulia, "insomnis volutabar meditabunda, si quo modo eum frustrare possem; quod et iam dudum senseram eum haud multum me curare—et quod satis perspexi pecuniam eam in aliam quondam mulierem insumptum iri. Statui igitur primo quoque momento ad hanc domum properare, rem integram hero

Vantine patefacere, petereque ab eo ut litteras mihi concrederet, quibus ego ad heram advolarem; mihi enim gratus eius animus probe notus erat," subiunxit puella. "Etenim quemque sibi providum esse, naturae praeceptum est."

Hic paulisper cessavit, in conclavi circumspexit nostrisque vultibus ad se audiendum conversis mirifice delectari videbatur.

"Una dumtaxat virtute tu certe polles, sinceritatis, scilicet," fatur matrona velata. "Prosequere!"

"Facultate discedendi vesperi tantum ab hera nacta," pergit Iulia, "huc properavi, et huc perveniens pulsavi tintinnabulum; fateor tamen frustra me acturam, nec fore ingressuram, nisi ostium maritus aperuisset. Quin etiam postquam ingressa sum, etiam ipse mihi ingressum ad suum herum negavit; verumtamen quum de accessu disceptassemus, herus Vantine ipse in ambitum venit, tum ego ad eum confugi, et ut me exaudiret ab eo flagitavi. Tum demum is me ad huc intrandum invitavit."

Hic ipsa iterum conticuit dum me tremor ex ipsa exspectatione perculit. Denique mox eramus audituri quemadmodum Philippus Vantine morte affectus sit.

"Igitur ego consedi," pergit Iulia. "Totam istam rem illi patefeci inde ab exordio. Ipse me intentissimus auscultavit; sed quum ab eo petivissem ut facultatem litterarum tollendarum mihi faceret, dubitare coepit. Inde sursum deorsumque in conclavi ambulans rem meditabatur; deinde me per ianuam in illud cubiculum deduxit. Arca in medio stabat tabulato, omniaque lumina ardebant.

"'Istane illa arca est?' ipse quaesivit a me, et quum verbis confirmassem, mirari videbatur.

"'Res probatu facilis est,' dixi ego, tum ad arcam progressa tria pusilla choragia imprimere coepi, ut heram facientem videram. Ansula in latere recidit, verum ipse me prohibuit.

"'Revera haec illa ipsa arca est,' ait ille. 'Hoc iam video. Et absque dubio forulus eas quas memorasti celat litteras. Ast hae litterae non tuae sunt. Eae herae tuae sunt propriae. Ut eas auferas concedere non possum, quoniam, profecto, non te novi. Fieri potest ut iis abuti tibi in animo sit.'

"Omni modo obtestabar iniuste id mihi imputari, optima me esse indole, herae meae ex animo bene velle, meque eam tueri. Denique me in hoc reduxit conclave. Prae furore paene flevi."

"'Revertere' inquit tandem, 'ad tuam heram, nuntia illi me ad suas sibi reddendas litteras paratissimum esse. Dedere tamen eas suis tantum ipsius manibus vellem. Litterae sunt hic, quandocunque sibi libuerit, a me eas repetere poterit.'

"Ex his intellexi omnia mea argumenta esse incassum, ipse adamantinum se praebuit. Itaque e domo excessi, ipso mihi ostium aperiente. Atque in his, Hera mea, cuncta quae scivi edisserui."

Post haec breve silentium factum est; tum audivi Godfrey e profundo suspirantem. Facile intellexi sibi aeque ac mihi persuasum esse puellam vera narrasse.

Tum ipse occepit fari: "Quamprimum domum perveneras, utique ergo quaeque experta es, herae tuae narravisti?"

Iulia haud parum erubuit.

"Non feci, Here mi," respondit ipsa, "nihil illi narravi."

"At ego putarem te tuam fidem factis comprobare voluisse," pergit
Godfrey suo modo suavissimo.

"Ego vero sine litteris verebar, ne mea consilia ipsa in malam interpretaretur partem," ait Iulia contumax.

"Praeterea sine litteris utique nullum praemium," explet Godfrey.

Iulia nihil respondit, sed parum commode se habere videbatur.

Denique matrona velata surrexit.

"Ullasne amplius habes quaestiones, quas illi proponere velis?" quaerebat ipsa.

"Nullas amplius, mea Hera," refert Godfrey. "Historia ex omni numero est perfecta."

Iulia itaque sumpsit suum velum, oculis interim haud amicis in Godfrey coniectis. Matrona velata denique ad me se vertit, manusque tetendit:

"Gratiam tibi habeo, mi Here, Lester," inquit, "pro tua in me voluntate. Veni, Iulia!" hisque dictis utraque ad fores accessit, quas Rogers illis propere pandit.

Herus Hornblower nutu capitis salutans, eas secutus excessit, ego autem cum Godfrey solus sum relictus.

Uterque nostrum silens consedit, quique suis cogitatis intentus.

"Hem," fatur denique Godfrey. "Hem, quam praeclaram haec omnia praeberent historiam! Et en, iis uti nequeo! Acerbum

hoc est scitu, mi Lester!"

"Historia ista columnas societatis certe concuteret," assensus dixi.
"Imo et ego ipse concussus sum."

"Non secus atque ego! Primum me nusquam esse sensi—quum te atque matronam velatam de occulto forulo disserentes audiveram, elinguisque stupui—vidique te in me renidentem! At totam rei historiam necdum scio. Quínam id factum est ut illa ad te veniret?"

Enarravi igitur ei adventum ad me heri Hornblower, historiam ab eo mihi narratam, levemque cum eo disceptationem. Intellectis eventibus, Godfrey audita capitis nutu probavit.

"Historia ista utique recta et proba est," tandem fatur, "Hornblower enim nihil unquam quod fraudem redoleret, susciperet. Insuper matronam ego agnovi, ut, procul dubio, et tu."

"Et ego sane; vidi eius effigies. Probavi etiam eius fortitudinem veli relevandi."

"Non secus et ego. Inde a die nuptiarum, mi Lester, ipsa haud parum mutata est—tum enim ipsa puella erat laevi facie! Trium annorum cum Duce suo convictus vestigia in ea reliquit!"

Mox conticuit, et meditans oculos in tapetas defixos gerebat. Denique cum subito tremore ad se rediit.

"Historia autem ancillae certe auditu iucunda fuit," inquit. "Nihilo tamen secius plura in ea sunt quae mihi minime liquent."

"Est unum in his, quod ne mihi quidem est clarum," respondi ego. "Ne somniavi quidem hanc esse arcam veram et genuinam. Nescivi quí id esse posset."

"Rem acu tetigisti. Quínam id factum est, quum matrona velata Armand et Fils Parisiis adivisset, et ab iis ad Philippum Vantine missa esset? Ut sua ipsius narratio fert, ipse hanc arcam non praestinavit; hanc antea nunquam conspexit; credibile est istam ex errore esse missam; Armand et Fils remulcant tibi errorem esse commissum; et tamen Vantine memorant eius arcae praestinatorem. Aliquid alicubi distortum esse constat.

"Illa re admoneor vices agentem Armand nondum me visisse. Haud est dubium quin is difficultatem dirimere possit."

"Utique non oberit eius narrationem audire," putabat Godfrey. "Videamus nunc illum forulum."

Forulus usque erat apertus eo quo eum reliqueramus modo, sed Godfrey eum in locum repressit, ostendabatque mihi configurationem vafram, quemadmodum per crusta, opusque musivum forma locusque eius dissimulatus fuerit. Dein operari circa choragium coepit, ansa in locum recidit, forulumque iterum evulsit quod evelli poterat, seduloque exploravit.

"Homullus qui hunc effinxit, summi fuit ingenii," fatur miratus, et forulum iterum in situm repressit. "Miror admodum quid hic inde a temporibus herae de Montespan ad hanc usque aetatem celaverit! Litteras amatorias plerumque, ut mea fert opinio, quoniam eae sunt praesertim res quae maxime celari debeant. Nonne aves utinam, mi Lester, forulus hic sua secreta tibi prodere posset?"

"Est unum quod hunc forulum prodere vellem, si modo posset," respondi. "Vellem hic fateretur quis Philippum Vantine occidisset. Nisi fallor iam mecum agnosces bellulam theoriam nostram hac vice pulchre esse elisam."

"Nonne iam ita paret?"

"Forulus nullo certo mechanismate nititur—hoc plane constat," censebam ego.

"Certe nullo nunc, nullo unquam," assentitur Godfrey.

"Atque hoc nos nuspiam relinquit, et nunc nusquam sumus; nonne idem putas? Hoc ergo factum totam rem tanto magis in ambagibus reliquit. Capere non possum," et his verbis etiam magis confusus frontem fricans resedi. Saltem pro momento temporis mente mihi prorsus coecutire videbar. "Tamen unum certum est," subiunxi, "necem, quaeque eius causa aut modus fuerit, factam in conclavi, non autem hic fuisse."

"Quid te ad ita credendum permovit?"

"Nos existimamus Drouet ad facultatem a Vantine foruli aperiendi, litterisque potiundi impetrandam acsi vices dominae gereret, huc venisse."

"Bene te existimasse arbitror," fatur Godfrey cogitabundus.

"Ex nostra igitur opinione, postquam Drouet in conclave intromissus erat, conspicatus est arcam, tentavit forulum evellere, idque moliendo fuisse occisum. At satis planum est nunc nihil prorsus circa forulum esse quod cuiquam nocere possit."

"Hoc certe manifestum est, ut mihi quidem videtur," probat Godfrey.

"Si vero forulum evulsisset, litteras profecto exemisset, siquidem obstabat nihil. Quandoquidem eas non exemit, nonne sequitur necesse est eum antequam forulo potitus esset, fuisse occisum? Quin, fortasse, arcam ne vidit quidem. Eum illic in conclavi caesum fuisse, paullo post quam Parks eum reliquerat oportet."

"Quid tum de Vantine?" quaerit Godfrey.

"Prorsus nescio," respondi spe deiectus. "Ipse litteras non curavit—si forulum vel maxime tentaverit, ad summum, curiositate ductus id egit, ut operandi modum eius experiretur. Attamen, utique idem quod occidit Drouet, et eum occidit. Prorsus ita—et nunc, quod de ea re cogito, aeque certum est ne eum quidem aperuisse forulum."

"Quínam tibi constat id certum esse?"

"Scilicet si forulum evulsisset," docebam, "idque moliendo caesus esset, forulus apertus mansisset. Existimabam prius, fortasse forulum per se clausum fuisse, sed ut vides, id factum non est. Forulus enim manu debet claudi, eius ansa in locum reprimi."

"Vera memoras," ait Godfrey, "nec hoc infitias iri patitur. Si enim id de Vantine valet, de Drouet quoque valebit. Sequitur inde forulum a neutro fuisse apertum. At quid tum?"

"Prorsus ignoro," sine spe respondi. "Nihil inde sequi videtur."

"Est tertia res in medio," suggerit Godfrey.

"Quaenam ea est?" quaero.

"Manus quae Drouet et Vantine occiderat, potuit et forulum claudere," respondit Godfrey, oculis in me levatis.

"Et litteras tamen ibi reliquit?" quaero ego. "Nequaquam."

Auditis his, vultum ad fenestram tabulatam convertit, unde intellexi cui eas manus attribuendas putaret.

"Praeterea," insto ego, "quonam modo ipse huc penetraret? Quonam modo evaderet? Quidnam ipse moliretur, si litteras non sustulisset?" Tandem admodum fessus surrexi. "Iam tempus est," inquam, "ut ad officinam redeam. Hodie dies Saturni est, officinam horá secundá claudimus. Veniesne mecum?"

"Non ibo," respondit; "si per te licet, aliquantum longius hic morabor, mi Lester, has res ultro mecum reputaturus. Fortasse in veritatem casu quodam fortuito incidam!"

CAPUT XVII

Herus Armand Comparet.

Reversus in officinam reperi herum Felicem Armand, ex consortio Armand et Fils ibidem comparuisse, sed quum ego alias egissem pagellam pro me reliquisse cum notitia graphide scripta, qua me docebat se futuro die Lunae antemeridiem iterum venturum. Alius quoque salutator advenerat, qui me reversum opperiebatur—vir quidam procerus et robustus, longis mystacibus, qui se mihi sistens aibat se Simonem W. Morgan vocari, incolamque esse Osage City, Iowa.

"Proximus miselli Philippi Vantine vivus agnatus, Here mi," se sistens fatur. "Veni primum quam poteram."

"Probe ac pie statuisti," laudo pietatem eius. "Funebria cras, horá decimá matutiná, in aedibus demortui celebrabuntur."

"Accepistine meum telegraphema?"

"Accepi," inquam.

Paulisper in sella sua haud commode vacillabat.

Non ignorabam quid erat dicturus, sed ad iuvandum eum nihil expedire existimavi.

"Recte fortasse divino testamentum eum reliquisse?" quaerit tandem.

"Divinasti bene; iam etiam ad idem die Lunae probandum quae usui sint, apparavimus. Si tum inspicere volueris, licebit."

"Tune iam id inspexisti?"

"Leges eius mihi notissimae sunt. Hic in officina fuit scripto mandatum."

Mystaces suas nervose tortabat.

"Patruelis Philippus perquam fuit opulentus, ut proditum audivi," coepit ambire.

"Quodammodo opulentus. Sortes securitatesque eius valore unam millionem cum quadrante attingebant, praeter quaedam immobilia—et, utique, aedes, quas incolebat. Insuper magnum apparatum productorum artis—tabularum pictarum, supellectilis domesticae, tapetarum, caeterarumque rerum idgenus circum se congestum habebat; quae omnia quantum valeant fortasse nunquam rescietur."

"Eccur non?" quaerit ille.

"Quoniam haeredem omnium rerum Museum Artium Metropolitanum constituit. Praeterquam pauca legata suis veteranis famulis adscripta, cuncta quae sua erant eidem Instituto reliquit."

Fortasse iusto rudius haec ob oculos ei posui, sed intervisui[1] finem facere statui.

Herus Morgan toto vultu valde erubuit.

"Siccine?" clamat. "Va—eccum; famá audivi eum haud parum insanivisse."

"Imo vero aeque sanum eum cognovi quam mortalium ullum," aridule respondi. Huius verba mihi in animum revocarunt dubia quae mihi eo die quo Vantine arcam Boulé palpare coeperat, suboriebantur. Dubia tamen haec reticenda iudicavi.

"Hem—enimvero his de rebus alias videbimus!" fatur salutator meus minitabundus.

"Fac prorsus ita statueris, Here Morgan," e corde respondi. "Si ulla tibi dubia intersint, indagare ne intermiseris. Nunc autem, quoniam permulta negotia me urgent, ignosces mihi, etiam maturius hodie officium claudemus."

Denique in pedes surrexit, tractim foras ivit; nec unquam amplius mihi sub oculos venit. Ut ego puto, legumperitum quempiam adiit, ab eo edoctus fuit casum suum nulla spe niti, et sic, rebus infectis, tractu [2] primo quo poterat, in Osage City profectus est. Ne funus quidem exspectandum censuit.

Pauci, profecto, molestiam in funere participandi subeundum censuerunt. Fuerunt inter hos aliquot familiae iunctiores, aliqui vices musei, institutorum beneficentiae quondam a Vantine adiutorum agentes, aliqui amici et necessarii, nec plures. Ex magno mundi theatro ita excessit et excidit, ut vel superficiem aquae, ut ita dicam, lenissimá undulá succussá, turbare videretur; e cunctis sibi iunctis, dicere non dubito, fidum Parks aegerrime eius mortem laturum. Vantine enim, quodam sensu, homo fuit solitarius; pauci in Platea ambulantes nutu toties quemquam salutarunt, tamen haud multi sunt toties soli pransi; tantum enim in eo fuit abstinentiae, ut amicitiam cum eo intimam

verecundia deterreret. In summa, Vantine homo fuit, ut sui similes multi, qui plurimos in toto orbe numerarat notos, amicos nusquam.

Ea nocte domi meae sedens haec mecum aliquantum contristatus reputabam, nec sine inquisitione in proprium ipsius mei in mundo, societatisque humanae locum atque statum. Procul dubio plerique nostrum haud parum contristantur quum perspicere incipiunt quam exigui sint in mundo momenti. Plurimi nostrum, si postridie suae sepulturae inter vivos redire possent, sine dubitatione haud parum cohorrerent quum perspicerent quam laete mundus usque satagendo cursaret! Scio enim mundum me evanuisse haud plus percepturum quam Vantine morte extinctum. Cogitatio haec mihi haud grata fuit, quod ea aliquo defectu laborare me coarguit.

Insuper et mors Vantine animum meum moerore affecit. Usque eo dum ad hunc tristem eventum explicandum modus aliquis atque spes suppetebat et affulgebat, causa declarari, factumque explicari poterat; at nunc theorema meum omnino erat eversum; in tenebris sum relictus, unde nullo pacto poteram eluctari. Nunquam antea ullo mysterio sensi me adeo obcoecatum, meique impotem, quam hoc, et sensus hic ita me obruit ut postquam cubitum ivissem, diu me insomnem et irrequietum iactaret. Arcano quodam modo vires meas cum superiori aliqua potestate mihi conserere videbar, minaci et terribili potestate, quae me vel versione carpi contundere et comminuere posse parabat.

Testamentum Vantine secuto die Lunae probatum est. Legibus eius cautum erat ut tota congeries productorum artis in museum deveheretur, domus autem, eaeque in ea res quibus museum non egeret, beneficio musei venirent. Herum Caspar Purdon Clark de legibus testamenti iam certiorem feci, atque advocatus musei testamento legendo

interfuit. Is retulit sibi demandatum esse ut me ad res uná duabusve septimanis, donec eaedem avehi possent, administrandas rogando induceret. Oportere etiam asseruit inventarium rerum Vantine congestarum ut fieret, ad quam sine mora suscipiendam vicarius musei director delegatus est.

His conditionibus aequo animo acquievi; sed in officinam reversus animi certe pendentem me sensi. Artium congeries Vantine mihi nunquam non pars sui ipsius videbatur; quin etiam plus domus ipsius pars, in qua eadem coacervata erat. Eaedem res in museo, in longitudinem parietum rigide dispositae ac digestae tessellisque discretae, summam iacturam decoris et pulchritudinis laturae erant; unde cogitatio animum mihi subivit quanto praestantius id futurum pro urbe Neo Eboracena, si domus ista vetus, cunctaque in eius penetralibus, sarta tecta intemerataque normae instar conservarentur, ut inde minor ista nervoseque proruens generatio digniorem vitae modum, disciplinam maiestatemque illius veterioris sub oculis videret; eo circiter modo quo vetustae ac venustae aedes Plantin-Moretanae Antverpiae monumentum reprehensionis est adversum nostrorum temporum librarios, qui litteras mercium mensurá aestimant iuxta saponem atque caseum.

Id, utique, iam effectui dari nequit; impetus mercaturae in Plateam ultimam hanc obicem e medio tollet; unicum istud prisci rerum ordinis monumentum delebitur; intra annum aut biennium immanis chalybeia et lapidea strues loco potietur, ubi tres Vantine generationes vitam exegerunt; congeries autem artis thesaurorum tam concinna et una, cui cogendae ultimus Vantine vitam impenderat, immergetur vastae congeriei a museo corrasae, ibique evanescet. Tristis certe exitus.

"Vir, Here, te convenire cupit," affatur me ministellus ad scriptoriam considentem, ac paullo post herus Felix Armand inductus se stitit.

Oculos modo habeo claudere ut imaginem tam extraordinarii viri mihi repraesentem, nam Felix Armand vir erat maxime eximius, quem unquam me convenisse gratulari mihi possem. Vultu rubicundus, claris oculis, plena barba atra, comá fere pice nigriori—capillis pone auriculas ita cincinnis, ut minus quam fascinatorium appellare haud ausim—speciem praebebat immensae et incredibilis virilitatis. Nec aberat in habitu eius indicium haud ignorandum culturae; gestus, totaque hominis externa species prodebant eum multum peregrinatum, multa vidisse, consuetudinem multorum, a summo ad imum expertum esse, hominem denique haec omnia arguebant, quem in nulla hominum societate alienum dixeris. Nullis profecto verbis meis propriam eius vividae personae imaginem describere ac prodere possum; atque ingenue fateor me a primo aspectús eius momento ab eo affectum atque fascinatum fuisse. Caeterum etiamnum sum ita affectus; fortasse etiam magis quam antea, nunc ubi tota historia mihi palam est—at modo scies.

"Anglice perinepte calleo, Here mi," considens me affatur. "Si tu scis
Francice . . ."

"Ne dimidio quidem tantum, quantum tu Anglice," renidens respondi. "Hoc iam primá tuá sententiá clarum est."

"Si sic res se habeat, tentabo ut possum," fatur subridens, "erroribusque ignosces. Primum igitur, Here Lester, ex parte Armand et Fils rogatum te esse velim, ut errorem tam gravem condones."

"Reverane per errorem id factum est?" quaero.

"Per errorem, nobis admodum incommodum. Nec quí id factum sit scimus. Mihi crede, mi Here Lester, non esse nostrum errores committere; nomine ita claremus, ut iuste liceat nobis superbire; verum arca quam herus Vantine praestinaverat, in promptuario nostro est relicta, illi autem haec alia est convasata ac permissa. Rem severissimae indagini subiecimus."

"Ergo arca heri Vantine usque Parisiis est?"

"Non est, Here Lester; errorem iam ante aliquot dies rescivimus, proinde arcam, quae heri Vantine est, ad me huc miserunt. Eadem proximo die Mercurii, per *La Provence* huc perveniet. Ipse ego eam excipiam, heroque Vantine sistam."

"Herus Vantine mortuus est," doceo eum. "Num id nescisti?"

Aliquamdiu, acsi non caperet, stupens sedebat.

"Rectene te intellexi herum Vantine mortuum esse dixisse?" balbutiebat.

Quantum de tristi eventu scivi ei narravi, dum ipse me quasi stupefactus aspectabat.

"Mirum est," inquam "te nihil ex his in diurnis ea re scatentibus vidisse."

"Ad amicos visitandos Quebec abfui," explicabat. "Nuntium domús nostrae me huc conferre iubens illic mihi redditum est. Illinc sine mora viam huc ingressus sum, dieque Saturni hic perveni. A statione rectá huc vectus aegre reperi te abesse."

"Doleo tanto tibi incommodo fuisse," dixi in excusationem.

"At, mi Here Lester, nostrum est incommoda subire," obtestatur ipse. "Tantum errorem dedecus existimamus. Pater meus ex antiquiori genere admodum ob id perturbatus est. Verum mors ista heri Vantine— molestissime me afficit. Saepe numero eum conveni. Ipse verus rerum aestimator fuit—in eo patronum, quem maximi feceramus, amisimus. Eum domi suae mortuum repertum memoravisti?"

"Recte meministi, mortuus autem est e minutis in manu geminis vulneribus, in quae maxime lethale virus erat instillatum."

"Mira narras. Et quem in modum ea vulnera erant inflicta?"

"Id nescimus. Mihi visum erat . . ."

"Itane, revera?" quaerit fulgentibus ex incitamento oculis.

"Paucis horis ante alius quis eodem modo occisus repertus est in eodem cubiculo."

"Aliquis alius?"

"Peregrinus aliquis, qui herum Vantine visum venerat. Mihi tunc visum erat tum hunc peregrinum, tum herum Vantine occultum quemdam forulum, qui in arca Boulé latebat, temerantes, mortem oppetivisse. Quidquamne tibi, Here Armand, de historia eius arca cognitum est?"

"Arcam hanc pro Matrona de Montespan ab ipso hero Boulé factam esse credimus," respondit ipse. "Haec est prima et originaria eius quae nunc in Louvre est, de qua satis constat Ludovici Magni fuisse."

"Ita et Vantine credidit," affirmo ego. "Unde id deduxerit, nescio—"

"Herus Vantine rei peritus fuit," herus Armand compositus respondit.
"Sunt enim circa eam indicia, quae nemo peritus ignoraverit."

"Ista arcae historia, ab eo coniectata," inquam, "mihi ad credendum ansam praebuit arcam, quae pro Matrona de

Montespan parata esset, forulo occulto utique non carituram; et, quoniam haec temporibus Brinvillier, atque La Voisin fiebat, quid magis moribus iis consentaneum esse poterat, quam quod praesidio machinationis venenosae muniretur?"

"Quid profecto iis moribus magis consentaneum?" repetit salutator meus, dum ego eum maiori etiam nisu erga me ferri ex oculis eius videri posse putabam. "Ratiocinaris optime, mi Here Lester."

"Ratiocinatio haec," retuli ego, "statum rerum, haud aliter perspicuum, declarare videtur. Adde etiam quod novitate rei delectat."

"Res ista certe insueta est," avide assentitur, aestuque animi oculi eius ceu geminae prunae candebant. "Ego vero inde a tenellis unguiculis," subiungit, quum intuitum meum animadverteret, "admiratione mysteriosi omnis tenebar. Fabulae de rebus occultis vim in me exserunt, quam declarare non possum; aliquid mihi in sanguine latet, quod nutui earum obtemperat. Subinde persuadeo mihi optimum potuisse speculatorem me evasisse—aut insignem malefactorem. Loco horum mercator tantum sum rerum curiosarum. Hinc intelliges quare historiis huius generis insolitis adeo capiar."

"Adiumento nobis fortasse fieri poteris," suadeo illi, "meum enim theorema omnino refutatum fuit."

"Refutatum? Quonam modo?" quaerit.

"Forulus occultus repertus est . . ."

"Quid?" clamat voce prae stupore acuta. "Repertus? Forulus occultus fuit repertus?"

"Fuit, nec tamen ullum machinationis venenatae tutamentum."

Halitu graviori paulisper spirabat; se dein recollecto leniter ridebat.

"Revera," in excusationem respondit, "haud me decet mihi tantum indulgere. Est hoc certum genus ebrietatis. At tu ais forulum fuisse repertum, nullum tamen venenum. Fuitne forulus vacuus?"

"Non fuit; manipulus litterarum in eo inventus est."

"Praestanter! Certissime litterae amatoriae! Pagellae dulciolae a magno
Ludovico, ad heram fortasse Montespan?"

"Non ita; prò dolor! multo recentiorum temporum erant. Restitutae eaedem sunt possessori. Te quoque probaturum hoc factum esse arbitror."

Aliquantum accuratius residebat me speculatus, dum me sollicitari sensi, quod quum ipse accurate sciret a quo arca empta esset, interea secum tacite historiam in integritatem magis scite texere par esset quam mihi consultum videretur.

"Quandoquidem litterae restitutae sunt," tandem fatur aridiuscule, "de re amplius disceptare vanum esset. Verum, absque dubio, si rem integram cognoscerem, approbarem. Praesertim si id bono matronae cessisset."

"Ita cessit," probo ego, eumque rem perspexisse e vultu eius cognovi.

"Tum fecisti bene," respondit. "Nullone alio modo causa mortis heri
Vantine illiusque peregrini reperiri poterat?"

"Nullo, quantum sciam. Mortuarius cras in causam inquiret. Causam cognoscendam is consulto distulit ea spe ut nova reperirentur forte testimonia."

"Nec ulla sunt reperta?"

"De nullis equidem audivi."

"Ne novisti quidem quis peregrinus ille fuisset?"

"Iam hoc repertum est. Fuit aliquis nullius pretii, nomine Drouet."

"Francusne?"

"Francus, cuius domicilium subteglinum erat Parisiis, Rue de la
Huchette."

Herus Armand animo intentus me intuebatur, sed nunc relaxatus, et ut mihi persuaseram, longo suspirio, ut homo gravi levatus onere. Interim in imo animi mei recessu umbratilis vagaque suspitio suboriri coepit—suspitio scilicet, acsi herus Armand hac in re longe plus cognitum haberet quam hactenus prodidisset.

"Num tu casu aliquo eum novisti?" incurius quaero.

"Non novi; haud puto. Est tamen unum, Here Lester, quod non capio, et ideo indulgentiam tuam ob meam flagitem temeritatem. Non enim perspicio quid iste, quem vocas Drouet, domi heri Vantine negotii habuerit."

"Litteras eas volebat in suam redigere potestatem," dixi.

"A, id itaque moliebatur!" et salutator meus caput quassabat. "Et hoc tentando fuit interemptus?"

"Ita, sane. At, mi here Armand, id nos praesertim latet quemadmodum ipse caesus fuerit. Quis, vel quid eum occiderit? Quínam venenum illud illatum fuerit? Quidquamne ad id declarandum afferre potes?"

Pauca momenta per fenestram prospectans meditabatur.

"Aenigma praeclarum est," tandem ait, "perquam scitum. Iam ego mecum
perpendam, Here Lester. Forte aliquid suadere par ero. Nec scio.
Vertumamen proximo die Mercurii te visam. Si ita videbitur, domi heri
Vantine, ad emutandas arcas conveniemus."

"Quotá horá?"

"Pro certo dicere nequeo. Aliquantum morae intercedere poterit dum arcam a navi avehi curaverimus. Satius forte esset si inter eundum te viserem."

"Placet," respondi.

"Velis, obsecro, mihi iterum indulgere ut errorem a nostris commissum ignoscere abs te flagitem. Nos, revera, cautissimi esse solemus; attamen et nos famuli subinde fallunt incurii. Gravissime fero quod ab ipso hero Vantine indulgentiam flagitare et veniam culpae impetrare in persona nequeo. Ergo ad diem Mercurii usque, Here Lester."

"Ad diem Mercurii usque," repetivi verba, oculisque prosequebar staturam eius erectam et ad optimam normam ornatam, dum per fores discedebat. Vir certe admirabilis et venustissimus, ad scriptoriam rediens mecum dictitabam, talis nempe, quem magis intime novisse cuperem; vir, qui arcanis criminum delectari, ac veluti equo arundinaceo equitare in delitiis habeat, et cui me hac in re morum

similitudo colliget; et risi etiam quum recolerem quantopere captus esset quum casum geminae mortis me referentem auscultasset. Quam porro insons fassus etiam est intimam mentis cogitationem, qua sibi insignis speculator—aut vero clarissimus malefactor fieri, si datum esset, sibi licuisset, quum reapse mercator communis rerum curiosarum modo esset. Caeterum ego quoque, nec semel, iis delectabar, consiliis—et ecce me, leguleium factum, nec e celeberrimis. Igitur ego et herus Armand complura habemus communia.

[1] *Intervisus, -ús*, ut nomen substantivum Romanis fortasse non usitatum, saltem ostendere nequeo; verbum tamen *interviso,3 -si,- sum* satis frequens et in Plauto, et in Cicerone ac Suetonio, sensu a nostro parum diverso, nempe aliquem clanculum observare, furtim videre, speculari quid aliquis agat, aut vero aliquem subinde visum et ad colloquendum adire. Satis aptum proposito nostro vocabulum.

[2] *Tractus, -ús*, quod trahitur, quod se trahit, eodem fere sensu apud Romanos quo apud nos. Nostrae enim ferroviae, compluresque carri velut in catenam copulati nihil aliud sunt quam novus modus, loco antiqui, onera vectandi; et perinde atque Anglice utimur vocabulo *coach* ad denotandos carros munere *coach* fungentes, sic et ego adhibui antiqua vocabula Latina ad designandum antiquum opus, licet novo modo effectum. Atque si mihi sumpsi pro *locomotive* novum procudere vocabulum Latinum *cietrum*, monito sum tantum Horatii obsecutus dicentis, "Licuit semperque licebit—procudere nomen."

CAPUT XVIII

Ego et Arca Boulé Separamur.

Quaestionem mortis mortuarius postero die habuit, quum quod ego suspicabar, facta comprobarunt. Decuria lictoria nihil quod momenti fuisset in testimonium reperit; certe nihil eius rei quae causae mortis Philippi Vantine, atque Drouet, novum lumen affundere potuisset. Testium quisque eodem fere modo quo ego hic eventus narravit, iuratos autem manifestum erat in aenigmatum ambagibus deperditos fuisse.

Magno mihi fuit levamento quod sine me declaratum est quis Drouet fuisset. Bulgá, quam in crepidine reliquerat, decuriá lictorum postulante apertá, in ea cistellula pagellarum suo nomine inscriptarum reperta est. Quare aliam quam suam Vantine submiserit, quidque negotii cum Vantine habuerit, decuria nullam submittere quivit sententiam, nec ego id explicare negotii esse duxi mei, quandoquidem arcanum eius mortis neutro in eventu clarius futurum erat.

Haud irridiculus inquisitionis eventus erat tentamen heri Goldberger, ut credibile est a Grady profectum, Godfrey carpendi.

"Postridie tristis eius eventús," suaviter fatur Goldberger, "tu in *Record* evulgasti effigiem, quam tu eius mulieris esse

voluisti, quae pridie vesperi Vantine viserat, quaeque ultima creditur fuisse omnium qui eum vivum vidissent. Unde eam effigiem obtinuisti?"

"Exemplar fuit eius quam Drouet in pagmento horologioli gestavit," respondit Godfrey.

"Exinde," pergit Goldberger, "huius portionis casús nullam fecisti mentionem. Licet inde arguere te erravisse?"

"Imo contra, etiam probavi me verum dixisse."

Vultus Goldberger rubescere coepit, nec aspectu fuit iucundus.

"Nonne potius agens[1] vocabulum est 'probare?'" quaerit.

"At rectum vocabulum."

"Quinam fuit mulieris cum homine illo Drouet nexus?"

"Amica eius fuit."

"Nimia id fiducia dicis," inquit Goldberger labiis convolventibus.
"Tamen, postremo, id nihil nisi hariolatio est, nonne?"

"Fiduciá loquor, ratione ductus," compositus regerit Godfrey, "quandoquidem mulier me coram tantundem fassa est."

Goldberger iterum erubuit.

"Ni fallor etiam fassa est ipsam se fuisse quae Vantine viserat?" cavillabatur.

"Ipsa non modo id fassa est," refert Godfrey etiam magis compositus, "verum et singula narravit quid eo tempore gestum fuisset."

"Fassio ista utique tibi soli facta est?" voce consulto ludibriosa quaerit Goldberger.

Godfrey verbis his aliquantum rubescebat, tamen probe sibi temperavit.

"Minime vero," inquit. "Coram hero Lester, atque alio spectabili iurisperito id evenit, cuius nomen enuntiare fas mihi non est."

Goldberger sibi aliquid in fauce haerere sensit, acsi alapam accepisset. Certe idgenus quid sensit, nec asserere dubito iure ita sensisse quasi accepisset!

"Num ista mulier Neo Eboraci est?"

"Ita credo."

"Quidnam vocatur, et ubi habitat?"

"Fas non duco respondere."

Goldberger stupens eum contuetur.

"Faxo ut respondeas," vagit, "alioquin ob spretam curiam in vincula te coniiciam."

"Feceris ut voles," refert subridens. "Per me licebit. Tuo tamen in loco rem perpenderem. Herus Lester confirmabit mulierem nullo modo in mortem sivie Drouet, sive Vantine implicatam fuisse."

Goldberger profecto perpendit; periculum punire tentandi diurnum tantae auctoritatis ut *Record*, ac porro fassionem Godfrey in attenuandam eius respondendi negationem denique accipiendam iudicavit.

"Hoc unum tantum est particularium quod Delectum Grady fefellerat," suaviter subiungit Godfrey.

"Haec quidem hactenus," interpellat Goldberger. Godfrey autem de podio descendit.

Ego dein ad narrata confirmanda revocatus sum. Utique et ego renui nomen mulieris prodere causam hero Goldberger allegans me id exercenda professione rescivisse, me caeteroquin pro certo scire eam nullum scelus perpetrasse, et, denique, id evulgare mulieri insonti maximo incommodo cedere posse. Nihil itaque supererat, nisi ut inquisitor auditis se contentum esse fateretur.

Grady in podium citatus non fuit; ne inquisitioni quidem interfuit. Quin inde a primo die, iunctim hoc casu, in publicum nequaquam prodiit; unde suspicari coepi se cum arcano, cuius solutio nulla fieri posse videbatur, et unde nulla gloria in se redundare posset, ingestum esse nolle. Summa totius casús manibus Simmonds est concredita, perinde et ipse ex parte decuriae lictorum testimonium perhibuit, ingenue fassus rem omnino nusquam esse. Se aedes Vantine summa cum cura exploravisse aiebat, praesertim conclave ubi cadavera reperta essent, prorsus nihil tamen reperisse quod ad arcanum resolvendum lumen afferre posset. Fuisse in eo aliquid daemoniaci aliquid quod rerum naturam paene superaret. Se spem necdum deposuisse, et usque in ea re eniti; tamen, si arcanum unquam patefieret, se sibi persuasum habere, haud aliter quam casu quodam fortuito, aut confessione ipsius rei id solutum iri.

Herum Goldberger tribulari vel inde palam erat quod mystaces suas nervose rodebat, verum nec ipsi plus quam decuriae constabat; nec praeterea vel mica evidentiae allata est qua scelus, eiusque reatus in quemquam infligi posset;

itaque exitus inquisitionis fuit sententia iuratorum Philippum Vantine, atque Georgium Drouet mortuos veneno esse, ab aliquo ignoto, vel aliquibus ignotis, dato.

Mihi foras eunti Godfrey se adiunxit, unaque gradus descendimus.

"Audire Simmonds dicentem decuriam lictorum nusquam esse, gratum mihi fuit," fatur. "Utique Grady conatur ex hoc toto exesse, culpamque alteri cuiquam dare—faxo tamen ne ipse evadat. Dabo operam ut ipsi Simmonds mensura ex aequo fiat—vetus ut scis ipse mihi amicus est."

"Scio, utique," respondi, "at vero, nonne, et nos ipsi nusquam sumus."

"Saltem pro praesentia," risit Godfrey, "fluctus nos habent. Nonne tamen, mi Lester, nos in sempiternum illic futuros non exspectas?"

"Ex quo meum de arca Boulé displosum est theorema, omnis spes me deseruit. Caeterum arcam cras domino suo restituam."

"Domino suo?" repetit verba oculis contractioribus. "Revera, ut de eo cogito, suspicabar eum venturum, non tamen tam cito adfuturum putavi. Quisnam casu ipse est, mi Lester?"

"Quin," fere impatiens respondi, "tu haud minus me scis arcam ad Armand et Fils spectare."

"Tum tu eorum vices agentem convenisti?" quaerit paululum ex incitamento suffusus rubore, quod quidem intelligere non poteram.

"Ipse heri me visum venit. Oppido velim ut eum convenias, Godfrey. Is Felix Armand est, 'filius' consortii, estque vir

omnibus numeris absolutissimus, quem unquam mihi convenisse contigit."

"Libenter eum convenirem," ait Godfrey peculiari modo subridens. "Aliquando, fortasse; ita spero quidem. Quínam autem, mi Lester, errorem explicuit?"

"Quodam modo arcam impropriam Vantine miserunt. Propria cras per *La Provence* adveniet;" tum recitavi eventum ex ordine, ut Felix Armand narraverat. "Ipse admodum fuit de ea re conturbatus," addidi. "Excusatio sua fuit fere abiectissima."

"Haec omnia Godfrey intentissimus audivit, rebusque narratis annuit.

"Totum id perquam mirum," subdit ut interpretamentum. "Casu memoravitne herus Armand ubi nunc moraretur?"

"Non memoravit; sed si eum reperire velis, haud erit difficile. In uno vel altero diversoriorum grandiorum—ut suspicor in Plaza, aut St. Regis, diversatur. Leo[2] perquam est, quominus in stabulo[3] tenuioris sortis se divertat."

"Quo tempore cras eum exspectas?"

"Aliquando postmeridiem. Simul atque arcam Vantine a navi devexerit, adveniet. Heri, mi Godfrey," subiunxi, "cum eo collocutus suspicari coepi ei plus de his rebus cognitum esse quam enuntiare vellet. Clare percipere poteram eum ipso momento divinasse cuius illae litterae essent, quisque earum tenor esset. Expedirene putas ut arcam paullo longius detineam? Ad id faciendum quamdam causam facile comminisci possem."

"Quid attinet? Auferat arcam suam," respondet Godfrey alacritate quadam mihi quidem mira. "Si tua de eadem

sententia iam est explosa, quid attinet ei ulterius haerescere?"

"Nec ego id expedire puto," affirmavi, "nisi quod te eam amplius explorare velle existimabam."

"Iam ex sententia eam rimatus sum," respondit Godfrey, unde mecum reputare coepi nunc primum se victum confessum esse.

"Sensus quidam intimus mihi suadere videtur," explico illi, "unicum nos Ariadnes filum, quod ex his ambagibus nos educere posset, arcá traditá dedituros. Eo nostram cladem agnoscimus."

"Minime gentium," obtestatur Godfrey. "Si de arca nihil amplius superest quod exploremus, cui bono detinebimus? Habeat herus Armand quod suum est. Fortasse cras te conveniam," subiunxit, et in cornu proximo alter alteri valediximus.

At postridie non me convenit. Toto mane libens exspectavi fore ut me
evocet, sed quum id non fieret, pro certo putabam me eum in aedibus
Vantine cum hero Armand praestolaturum. Non tamen ibi erat; quum vero a
Parks sciscitarer reperi eum ex pridie eum illic non fuisse.

Mens Godfrey erga arcam mutata, fateor, mihi admodum mira videbatur; praeterea etiam existimavi eum enixe cupere eximium hunc Francum convenire velle. Is vero gratiis hodie etiam magis abundabat quam die Lunae, et me mox illi plane subactum sensi. In arca a navi devehenda etiam minus morae reperit quam anticipaverat, nec ullae in portoria obices positae eum retardarunt, proinde ne tertia quidem erat hora quum ad domum Vantine advenimus.

"Herum Godfrey non vidi," quaerenti mihi Parks respondit, "at sunt hic alii quos hic conspexisse magno tuli dolore."

His dictis musicarium digito indicavit, quo quum accessi, inventarium confici vidi. Factorum praefectus capite me salutavit, sed ego non intravi, res enim visu mihi perquam erat ingrata.

"Arca in cubiculo trans ambitum est," alloquor herum Armand, atque antegressus eum per conclave in contiguum cubiculum deduxi.

Interim Parks lumina nobis provertit, quum comes meus oculos in foros fenestrae ligneos emiratus convertit.

"Nos gratia tutelae eos apposuimus," docui eum. "Fieri enim posse putavimus ut aliquis ingressum tentaret. Quodam vesperi nos revera reperimus tortile, quod excitabulum praedonium iungit, praecisum, postea autem vidimus etiam aliquem illic per foramen nos speculari."

"Quid ais?" herus Armand cito quaerit.

"Num hominem agnosceres si eum iterum videres?"

"Nullo pacto; ut vides foramen est tam exiguum. Nihil profecto videbatur nisi par oculorum. Et tamen possem agnoscere si eos iterum viderem; nam tales oculos nunquam antea videram—tam lucidi tamque flagrantes erant. Ea vespera id evenit qua ego et Godfrey tentabamus forulum occultum reperire, illi autem oculi micabant tamquam ignis, dum nobis elaborantibus erant infixi."

Herus Armand, ut parebat, verbis meis parum attentus, arcam speculabatur.

"At nunc forulum occultum," ait tandem. "Volesne, Here Lester, quí is tractandus sit ostendere? Admodum aveo videre."

Manum plano arcae imposui, tria illa loca, ut matrona velata ostenderat, pressi. Primum ab ordine erravi, altero tamen tentamine ansula prorsum decidit clangens, quo facto forulum evulsi.

"Ecce forulum," exclamo. "Videsne quam dextere effictus est. Et quam accurate opus occultatur. Quisnam hic de forulo somniaverit?"

Ipse magno studio opus circumspectabat; forulum in locum repulit, tum ipse aperuit.

"Nihil prorsus est dexterius," ait. "Nunquam antehac vidi forulum tam scite celatum. Ipse autem conceptus per certum molimentum aperiendi novus ac felicissimus est. Plerique foruli occulti nomine tantum sunt occulti; exigua indagine reperias; verum iste . . ."

Forulum iterum repulit, et opus musivum circa speculabatur.

"Ego et amicus arcam maximá curá pertractavimus, nec forulum reperimus," eum docui.

"Tuus amicus—recte si memini, nomen eius memoravisti?"

"Sic puto—nomen ei est Godfrey."

"Iurisperitus ut tu?"

"Haudquaquam; diurnarius[4] est. Antea tamen membrum fuit cohortis speculatoriae. Ipse praeter modum alacer est, ut si quisquam forulum reperire debuerit, eum hunc fuisse necessarium videretur. Hae tamen technae eum eluserunt."

Post haec herus Armand forulum cum strepitu retrusit.

"Tamen forulum repertum esse," inquit, "mihi pergratum est. Nolo te,
Here Lester, ignarum esse hanc rem arcae valorem augere."

"Quantumnam valet?" quaero ab eo. "Herus Vantine me eam pro se emere iussit, atque summam, quae fere fidem excedat, velut limitem pretii memoravit."

"Revera," herus Armand respondit, sumptá brevi deliberatione, "vix ullam summam memorandam puto donec patrem consulam. Arca sane singularis est—fortasse omnium quas herus Boulé fecerat pulcherrima. Reperistine monogramma Matronae de Montespan?"

"Non reperimus. Herus quidem Vantine existimabat id alicubi delitescere; ego tamen et Godfrey non quaesivimus."

Dein herus Armand pandit valvas quae forulos medios tegebant.

"Ecce!" ait, dum digitis musivum, rectá sub fastigio, percurrebat, "vide sis quam scite istud permixtum sit cum caeteris figuris. Atque istic est emblema donantis." Dehinc demonstravit pusillum aureum solem, radiis ad fundum fastigii procurrentibus, paullo supra monogramma: "*Rex Sol.*"

"*Rex Sol*," repetivi ego. "Stulti nos fuimus id non animadvertisse. Hoc totam prodit historiam rei, nonne ita? Quid rei est, Parks?" sciscitor ab eo, in limine adstante.

"Petoritum[5] prae ostio adstat, mi Here," respondit ille, "binique operarii aliquid supellectilis evasare inceperunt. Ratumne est, Here?"

"Est ratum," respondi. "Fac ut id huc inferant. Deinde advoca sis praefectum inventarii, paucis eum volo. Herus Vantine suam rerum artefactarum congeriem Metropolitano Artium Museo testamento reliquit," explicabam rationem instituti mei hero Armand, "itaque aequum arbitror vices Musei agentem huic emutationi interesse."

"Rectissime statuisti," probat ipse. "Aequum et ego censeo."

Parks paullo post a duabus operis comitatus, rediit rem quamdam involucro obvolutam baiulantibus, quos arcte secutus est vicarius Musei Metropolitani.

"Nomen mihi Lester est," praefectum docui, "exsecutor testamenti heri Vantine, hic autem vir est herus Felix Armand, ex consortio Armand et Fils, Parisiis. Corrigendo cuidam errori paullo ante mortem heri Vantine commisso satagimus.[6] Illa arca ibi ex errore huc missa est loco eius quam ipse praestinaverat. Herus Armand rectam ac veram advehi curavit, eam autem quae sua est, asportabit. Ego iam totam rem advocato Musei narravi, consultum tamen duxi te emutationis testem accersere."

"Minime dubito, mi Here, rem aequam geri," homo Musei respondit protinus. "Tibi, haud ambigo, cognitio harum rerum est personalis."

"Personalis est. Ab ipso hero Vantine teneo."

"Ratum, itaque, mi Here," oculos tamen cum voluptate in arca Boulé pascebat. "Est supellex nitidissima. Doleo quod non Museo competit," in commentationem subiunxit.

"Forte licebit tibi ab hero Armand praestinare," suasi ego, sed curator ridens caput quassabat.

"Haud ita," refert ille, "adiumenta nobis non suppetunt. Sed fortasse Sir Caspar herum Morgan ad eam nostro beneficio praestinandam permoveri posset—rem illi memorabo."

Operae illae duae, hero Armand administrante, involucra de altera arca divellere coeperunt, eaque mox denudata in medio stabat. Ista quoque aspectu gratissima erat supellex, attamen etiam mei oculi minime periti hanc alteri oppido sequiorem esse facile perspexerunt.

"Multum nos delectaret si herus Morgan eam videre vellet," subridens respondet herus Armand. "Nolo dissimulare nos de eo iam antehac cogitasse—quis enim negotiator, quam aliqua re insolita pulchraque potitur, id non fecerit? Enitar ut ei sistar. Interea . . ."

"Interea," interpello ego, "arca tua est."

Tum, edito velut in deprecationem leni gestu, opus aggressus est alteram arcam involucris novae detractis summá curá obvolvere. Adstans non sine dolore vidi eam tegetibus obdi rudibus, quod oculi mei iam satis erant eius venustatis gnari. Praeterea mecum iterum conquerebar quod eá sublatá, omnis spes nobis causae mortis Philippi Vantine indagandae tollitur. Ratio mea quomodocunque repugnabat, vagus me instinctus urgebat ut crederem istam arcam Boulé quodammodo funesto eo eventu nexam esse.

Arca denique convasata stetit, tum herus Armand ad me versus manum porrigit.

"Sperabo, Here Lester, quondam futurum ut te iterum conveniam," fatur tam suaviter ut eum fore adulari mihi putarem, "et priscam gratamque amicitiam nostram refoveam. Siquando Parisiis esse tibi contigerit, ea de re me certiorem facere ne graveris. Numero bonae fortunae

habebo si mihi datum fuerit quasdam urbis nostrae pulchritudines, non quibusque notas, tibi revelare."

"Habeo tibi insignem gratiam," respondi, "invitationis huius certe nunquam ero immemor. Interim quum tu hic, Neo Eboraci, sis . . ."

"Humanissimum tu te mihi praebes," interpellat ille, "et ipse ego sperabam posse nos saltem una prandere. At mihi hac ipsa vespera adhuc Bostonium proficisci oportebit, illinc autem me Quebec conferam. Utrum huc, Neo Eboracum, reversus fuero, necdum scio—quod multum ab animo heri Morgan pendebit; negotium adeo subtile proxenetae haud concrederemus. Si mihi redire contingat, certiorem te faciam."

"Age id feceris," ab eo petivi. "Maximae equidem mihi erit voluptati.
Insuper usque spero quandam huius mysterii solutionem tibi occurrere."

Leni risu nutabat.

"Nimis arduum opus pro novitio, mei simili," respondit. "Vires meas oppido superat. Si tamen solutio eiusmodi fiat, spero te de ea re me edocturum. Mirificam eam futuram certum est."

"Sic faciam," in responsum promisi, manusque iterum tetendimus.

Denique signo dato, duae operae arcam levarunt, ipse suam manum in tutamentum arcae imposuit, ut e conclavi in ambitum, hinc per ostium deorsum gradus ad petoritum, quod tramiti appulsum erat, delatam ei imposuerunt. Eo allata arca singulari cura in petoritum sublevata, ibique disposita est, duo tum baiuli conscendentes eam utrimque

tenuerunt, denique equis ab auriga concitatis petoritum leni motu per iter secundum Plateam volvi coepit.

Herus Armand paulisper oculis secutus, pilentum meritorium ibi eum opperiens conscendit, manuque ultimum vale edens, petoritum subsecutus est. Nos e fastigio graduum discedentes intuebamur, usque dum ad primum viae transversae angulum iter suum flexerunt.

"Herus Godfrey extorris nunc negotio est," leni risu notat Parks.
"Ternis quaternisque his diebus tantum quod non cum arca illa habitavit.
Hesterna nocte diu hic moratus est."

"Quid ais? Vesperi hesterno?" stupens quaero. "Ego vero certissime putabam eum hodie hic futurum," cogitabundus subiunxi, quod Godfrey poterat secum statuere ultimum intueri arcam. "Quodammodo pollicitus est se huc venturum, sed et evenire poterat ut graviori quodam negotio detentus esset."

Momento post, celeritate qua pedes me ferre poterant, deorsum gradus rui, quod pilentum meritorium deorsum Plateam praetervehi, et in eo duos viros sedentes conspexi, eosque itidem iter sequi quod petoritum, et in proximo angulo inflecti.

Eodem autem momento quo pilentum in cornu evanescebat, vectorum alter se ad me convertit manuque signum dabat— eumque Iacobellum Godfrey agnovi.

[1] *Agens, -tis*, Participium Praesentis, verbum Ciceronianum, *valens, potens, efficax*.

[2] *Leo, -nis*, sequiori Latinitate "militem gloriosum," heroem putativum, idolum muliercularum, "hominem bellum,"

trossulum, catulum, catulastrum significat, qui aut sibi ipse nimium tribuit, aut vulgus eum extollit, aut etiam qui singulari virilitate revera pollet, ut hic accipitur.

[3] *Stabulum, -i*, locus ubi quis *stat*, moratur, aut habitat, saltem pro tempore. Nescio quam ob causam lexicographi Germanici simulent vocabulo hoc iumentorum (equorum, boum, asinorum, mulorum) habitacula non designari, saltem eum sensum silentio premunt, nec nisi insulas ac diversoria hominum, nidos avium, cellas apium eo significari insimulent, quum tamen id Virgilius in Georgicis adhibeat. Hic, utique, de humana habitatione, sive *diversorio*, accipitur.

[4] *Diurnárius, -ii*, vocabulum Romanum, iuridicum, scribam significat, qui acta curiae iudicum quotidie litteris consignare consuevit. Hic relatores, perinde atque conscriptores eventuum, item concinnatores diurnorum (ephemeridum, periodicorum) significat.

[5] *Petóritum, -i*, est genus vehiculi, currus gravior, tamquam sarrácum, nostris tamen temporibus illud genus sic appellamus, quo suppellectilem domesticam vectamus.

[6] _Sátago,3 -égi, -actum, praeter solitum ac litteralem sensum plerumque adhibetur ad designandam sedulam ac diligentem operam, aliquid celeriter, perniciter agere, *natinari*.

CAPUT XIX

"Mors."

Praesumendum erat futurum ut pedes mei, absque conscio nisu meo, me sursum Plateam currentem, ad angulum viae conferrent, ubi pilentum Godfrey vehens, et iter in transversam viam flectens assequerer; nec tamen sine aegritudine animi reputabam me sic cursare, quod nempe conscius eram Godfrey mecum non omnino palam et aperte egisse. Constat, profecto, se Armand sequi velle, nullo verbo prodidisse; causam tamen ipse mihi finxi id inde fieri potuisse, quod monitionem omnem, in eiusmodi rerum statu, supervacaneam existimasset. Etiam aequum erat a me divinari eum, etiamsi ipse se minus iam curare videri vellet, passurum, ut arca sibi ita eriperetur, haud esse; quod vero ratum existimasset ut ego arcam hero Armand dederem inde fieri sensi, quod post deditam arcam alia inde eventa secutura speraret.

At nunc demum et mihi lumen animo subivit et reminisci coepi me quoque latére quo tandem arca deveheretur! Id ab hero Armand percontari non mihi in mentem venit, nec ipse quidquam mihi de suis consiliis prodidit.

Dehinc cursum contentior prosequebar, ratus Godfrey manu haud mihi significaturum fuisse, nisi me interesse voluisset. Cornu igitur in tempore attigi, vidique petoritum in Platea Sexta versus septemtrionem iter flexisse. Igitur, primum

quam petoritum et subsequentia pilenta visui meo se subduxissent, maximo quam par eram cursu in tramite me concito, perveniensque in cornu, laetus vidi vehicula a loco, ubi tum stabam, haud multum abesse. Quandoquidem frequentia hic admodum erat densa, petoritum haud multum proficere poterat, et ego haud magno labore gressu id adaequare poteram, quin me in tanta turba suspectum redderem cursu anhelus. Quin etiam satius duxi me in turba aliquantum retrahendo celare in tramite, ne Armand circumspectans me clanculum eum insectari conspicaretur.

Idem animadverti et Godfrey atque Simmonds vereri, nam vidi pilentum ad incile deversum consistere seque continere tantisper dum petoritum aliquantum progrederetur. Viá denique Sedecimá se iterum ad occidentem deflexit, inde autem iter in Platea Septima prosecutum est.

Quidnam herus Armand hac in parte urbis sibi agendum putat? a me ipso quaero. Estne sibi in animo hanc pretiosissimam arcam in ista aerumnosa urbis parte relinquere? Hic subito constiti, et in angiportum secessi, quod petoritum non admodum procul ante me substitit, et ad tramitem reversum se propulit.

Caute prospectans vidi et pilentum Armand ibidem subsistere, illum excedere, aurigaeque vecturam persolvere. Pilentum alterum satis celeri cursu iter in Platea prosequi vidi. Baiuli duo arcam e petorito evexerunt, atque Armand praeeunte, in domum ante cuius ostium constiterant, invexerunt.

Quina circiter minuta hi aberant, unde licebat coniectare se arcam in superiorem baiulasse contignationem; tum iterum comparuerunt, hero Armand comitante. Ipse his, perinde atque aurigae, corollarium dilargitus est. Baiuli tum

petoritum conscenderunt, quod cum illis strepens se e medio sustulit.

Pauca momenta Armand stans in gradu, in Platea sursum deorsumque circumspexit, dein ingressus visui se subduxit.

Vix momento post conspexi Godfrey et alterum quemdam, quem agnovi Simmonds fuisse, e taberna, in adverso vico, egredientes viam transcurrere, et domui, in quam arca invexa erat, irruere. Quum ego adveni, isti usque in limine stabant.

Domuncula haec squalida et sordida erat, vicinitati sordidae congrua. Pedeplanum lavatrina explebat, quam inscriptio in fronte Francicam esse satis declaravit; haec autem magná collustrata fenestrá totam frontem occupabat, si ianuam demas quae, ut erat verosimile, ad gradus, per hos vero in superiores contignationes ducebat.

Vultus Godfrey ex concitatione erat inflammatus dum ansam huius ianuae leniter—leniter tentabat. Erat obserata. Proclinans, per foramen clavis speculabatur.

"Clavis in foramine haeret," susurrat.

Simmonds e sacculo forcipillam gracillimam producit eamque tradit.

Interim Godfrey in Platea dispectat, sed eo tempore nemo suspectus oculis obversabatur, inserit igitur foramini forcipillam, oram clavis apprehendit, sensimque vertit.

"Sic!" quod ubi dixit, ianuam simul caute pandit, et furtim intrat. Ego eum secutus sum, Simmonds autem ceu umbra post me venit, ianuamque post se clausit.

Nunc omnes substitimus, sed ego saltem cor in faucibus haerescere sensi, nam alicunde e sublimi vox hominis animo concitato loquentis exaudiebatur.

Etiam in semiopaco satis videre poteram aspectum in vultu Godfrey stupentem et turbatum, ut pro momento immobilis stabat vocemque eam excipiebat. Ego quoque auribus intentis steti, sed ex iis quae dicebantur prorsus nihil capere poteram; ac nunc demum deprehendere coepi sermonem Francicum esse. Attamen vox non fuit Armand—id mihi prorsus certum erat.

Ante nos gradus angusti patebant, qui ad contignationem proximam ducebant. Post memoratum dubitationis intervallum Godfrey in infimo gradu desedit, calceos exuit, et nos idem facere iussit. Simmonds ut automaton paruit, sed meae manus tam nervose tremebant, ut formido me caperet, ne calceus mihi ex una manu excideret; sed tamen satis prospero eventu rem gessi, exutosque absque strepitu in tabulato prope imum gradum seposui.

Quum denique angoribus allevatus caput erexeram, Godfrey et Simmonds per gradus, quisque sclopello in manu, sursum repere animadverti. Ego sequebar, sed ut verum fatear, genua mihi vacillabant, erat enim in ea voce usque fluente aliquid sinistri et formidolosi. Simillima ea erat voci hominis furiosi, mihi quidem partim ferociam, partim triumphum sonabat . . .

In fastigio graduum Godfrey paulisper substitit, auresque intendit; tum caute versus ianuam apertam, unde vox profluere videbatur progressus, manu nos ad manendum ubi essemus, significavit. Ut vero genibus insistens, sudoreque manans, auscultabam, unum verbum saepius repetitum audivi:

"Vindicta! Vindicta! Vindicta!"

Tum audivi vocem quasi concidere, iterumque fluere veluti submissum hirritum instar canis praedae intenti, atque sonum percepi tamquam telae laceratae.

Godfrey genibus manibusque insistens in cubiculum inspectabat. Dein se retracto, motu manús nos accersivit.

Spectaculum, quod visui meo per angulum ianuae et intra postem speculantis obtulit, dies mihi nunquam delebit.

Cubiculum quod inspectabam eo solo lumine erat collustratum quod inter foros clausos fenestrae penetrabat. In medio tabulato stabat arca Boulé, anteque eam, tergo ad ianuam verso, homo quidam occupabatur involucrum revellendo ac lacerando, quo ea obvoluta erat, interea furens secum veluti per cantum mussans atque grunniens, subinde sistens, ut oculos in manipulum convolutum ad latus adversi parietis in constrato iacentem convertere posset. Quodgenus ille manipulus esset aliquantisper divinare nequibam; denique oculis magis intentis reperi id corpus esse hominis tamquam in fascem involuti.

Ut vero eum intuebar, fulgorem oculorum eius percepi intuentis hominem, qui arcae denudandae dabat operam—fulgorem, qui non dignosci haud poterat—illum ipsum fulgorem, qui me iam antea semel exterruerat . . .

Godfrey me manu firma revulsit, meumque locum subivit. Ego vero me ad gradus recepi, ibique considens frontem nervose tersitavi, tentavique cogitare et intelligere. Quisnam ille fuit? Quid ibi ad parietem agitabat? Quidnam totum hoc spectaculum sibi volebat . . .?

Nunc mihi cor prosilire ac rumpi parabat, quod Godfrey cato prorupit vagitu, "Siste!" atque in cubiculum irruit, Simmonds

insequente.

Duo, ut existimo, minuta elapsa sunt secunda[1] antequam ego limen attigi, et illic constiti stupens, parietemque ut me sustinerem attrectans.

Spectaculum hoc ita in memoria mihi depictum est, ut ad ea cuncta revocanda oculos modo claudere satis sit.

Ibi stabat arca integumentis discerptis ac detritis; verum figura hominis a tabulato evanuit, atque ante ingressum in alterum cubiculum stabat vir, vir quidem staturae giganteae, manibus supra caput sublatis, vultu pavore furoreque torvo, dum Godfrey, labiis in derisionem convolutis, sclopellum pectori eius intentum tenebat.

Dum vero ego ibi stabam obstupidus, aliquid in aere micare vidi supra caput hominis, qui cate vagiebat:

"*Mors!*" quiritans "*Mors!*"

Alterum usque terribile momentum ibi immotus perstabat, manibus adhuc sublatis, oculis horribili modo micantibus; postremo, strangulato eiulatu, gravi lapsu ad pedes Godfrey concidit.

[1] *Minutum secundum:* ex quo horologia mechanica in usum venerunt, astronomi horam in *minuta*, minutum (subaudi *tempus*) in *minuta secunda* dispertiverunt. Minutum itaque prius, h. e. sexagesimam horae partem, *minutum primum*, huius autem partem sexagesimam *minutum secundum*, vel uno verbo, *secundum* appellarunt. Romanis nihil horum notum; brevissimum et incertum tempus ipsi *momentum* (quasi *movimentum*) temporis, item, *punctum temporis*, ictum oculi, vocitarunt.

CAPUT XX

Effugium.

Quemadmodum Godfrey paulisper supra cadaver inclinaverit, idque stupens aspexerit, et tum subito cato vagitu per apertam illam ianuam proruperit, confuse tantum memini. Alicubi ianua magno sonitu impulsa precrepuit, strepitus pedum currentium audiebatur, et antequam sive ego sive Simmonds quid evenisset intellexissemus, Godfrey iam iterum in cubiculum reversus, id uno saltu pervolavit, ad ianuam procucurrit in ambitum ducentem paullo ante impulsam.

Vidi eum acerbissimo conatu ansam tentare, tum duos gressus recedere, seque omnibus viribus in ianuam praecipitare. Haec tamen impetum firmiter sustinuit, quum ex ambitu foris cachinnus audiebatur derisorius, quo mihi fere sanguis riguit.

"Huc venite, fatui!" vagit dentibus pressis Godfrey. "Nonne videtis eum effugere?"

Simmonds me celerior erat; nunc simul ianuae irruunt. Illa stridebat quidem, sed usque sustinuit; tentaverunt iterum, et nunc a summo ad imum fissa est. Godfrey calcibus diffregit eam ex utraque parte, et egressum nactus erepsit, Simmonds sequente.

Mei fere impos denique et ego me eo contuli, ac post pauca momenta coecutiens et palpans, iterum foris, in ambitu me reperi. Ad caput graduum perveni, unde videre poteram Godfrey ostium tentantem, tum in ambitu, in pedeplano retro euntem ad posticam domum. Intra momentum temporis eiulatum quiritantium mulierum audivi, ut fere capilli mihi erecti starent.

Quemadmodum gradus traiecerim, haud memini; sed in pedeplano ego quoque retrorsum ivi et exspectavi quoque momento me nescio in quem horrorem illapsurum. Perveni ad ianuam patulam, ingressusque per eam, in lavatrina me stantem reperi, grege perterritarum indignantiumque mulierum circumdatus, quae vagitu et eiulatione me exceperunt.

Ulterius ire quum nequirem, in cistulam obviam languidus consedi, indeque eas spectavi.

Non diffiteor ridiculum me praebuisse spectaculum, quod et e vagitu in submissos cachinnos mutato satis intellexi; at meam figuram prorsus nihil pensi habui, nec qualis inspectantibus apparerem prorsus curavi. Ego usque ibi sedebam quum Godfrey anhelus rediit oculis irá flagrantibus. Operae lavatrinae, haud ignarae eventum aliquem extra rerum ordinem tumultu significari, eum circumfluxerunt, sed ipse viam per turbam aperuit, ut ad institorem perveniret.

"In contignatione superiori scelus est perpetratum infandum," affatur eum. "Vir hic iuxta me adstans e decuria speculatorum est," quo dicto Simmonds suum insigne exhibuit. "Res nobis ad decuriam referenda est," pergit Godfrey, "proin tibi suadeo ut mulieres tuas in negotiis suis contineas. Non enim existimo te huic rei implicari velle."

"Absit," continuo respondit institor, ac dum Simmonds ad edocendam decuriam ad telephonum accessit, institor e sessibulo suo descendit, ad mulieres accessit, easque ad munia sua regredi iussit.

Godfrey interim ad me veniens manum humero imposuit, et,

"Va, Lester," inquit, "tu aspectum praebes quasi sis in ultimis."

"Sum etenim," respondi. "Nisi res hae finem accipiant, collabar. Ne tu quidem admodum floridam praebes speciem."

"Nec profecto floreo. Etenim sivi ut ille nebulo hominem coram me occideret—sub oculis revera meis!—et ut evaderet!"

"Ut hominem occideret?" repeto. "Aisne revera?"

"Ascende in eam contignationem, cerneque dextram manum cadaveris ibi iacentis," breviter refert Godfrey, "tum scies quid dicam!"

Stupens ibi sedi, nec credere quivi me recte audivisse; nec credere valebam Godfrey ea verba revera protulisse . . . manum dextram hominis illic iacentis . . . id unum tantum significare poterat . . .

Simmonds torvo risu in labiis nobis se adiunxit, sed et ipse haud parum concussus mihi videbatur.

"In Grady incidi," ait, "eumque quid hic accidisset, docui. Respondit se negotiis nimis detentum quominus ipse advenire posset, meque has res administrare iussit."

Godfrey in lenem risum erupit.

"Grady Cannas suas sibi impendere sentit!" ait. "Nec clades sua longe abesse paret. Sed tui gratia, Simmonds, gaudeo—futurum sentio ut ex hac re haud parum gloriae in te redundet!"

"Equidem libenter vellem credere," respondet Simmonds fulgentibus pro momento oculis. "Arcera brevi aderit," subiunxit. "Nunc vero iuvabit calceos nostros induere, et in contignationem superiorem redire, videreque utrum quid adiumento illi misello esse possit."

"Nihil adiumenti illi afferri posse arbitror," ait Godfrey lassitudine confectus; "sed tamen tutum ac ratum duco ut eum aspiciamus," quibus dictis nobis in ambitum prodeuntibus praeiit.

Nec memini donec Simmonds loqui coepit, me discalceatum esse. Itaque iuxta Godfrey desedi, ac laboriose calceos meos induxi, quo facto eum atque Simmonds gradus ascendentes subsecutus sum.

Quid Godfrey in animo volvitaret scire me putabam; ipse enim sibi vitio vertebat hanc novissimam calamitatem; eam se praevidere et avertere potuisse sibi dictitabat; nam sibi moris erat, si res in contrarium currebant sese culpare—et tum in causa esse se quare homicida sibi quasi e manibus effugeret! Fingere in animo mihi poteram gravem animi offensionem, quae suam fiduciam sui concusserat!

Novissima victima in tabulato ante ianuam in cubiculum interius ducentem, ubi corruerat, iacebat. Simmonds ad fenestram accessit, foros patefecit, atque uberrimum solis pomeridiani lumen immisit. Inde ad cadaver progressus in genua se demisit, manumque dextram flexilem cadaveris ad ostendendum nobis levavit.

Parum supra digitorum iuncturas pusillae erant puncturae duae, paucis guttulis sanguinis inde manantibus, caro autem in circuitu erat tumida et decolor!

"Novi ego statim quum clamavit '*Mors*,'" ait Godfrey presse, "quid id significaret. Ipse quoque novit simul atque ictum sensit. Palam est eum id iam antea vidisse, aut de eo audivisse, scivitque id subitaneam nuntiare mortem."

Consedi itaque oculis in mortuum defixis, volebamque animum colligere. Ergo iste malefactor, Orci progenies, qui veneno sic caedit, in aedibus delitescebat Vantine, ac primum Drouet feriit, deinde ipsum aedium dominum! At cur—curnam! Id credi nequibat, facinus praeter fidem, mens mihi in vertiginem agebatur ipsa cogitatione. Et tamen hoc verum esse oportet.

Respexi iterum in tertiam victimam, vidique hominem rudi vestitu, uberrime nigro comatum, confusaque barba conspicuum; erat autem homo prope gigantea statura, qui viribus necessario ingentibus pollebat—et tamen hae contra minutulas acu laesuras in manu prorsus nihil profecerunt.

Tum subita cogitatio me ad pedes concitavit.

"At vero Armand!" clamo ego. "Ubinam est Armand?"

Godfrey veluti commiseratus mei, subridens me aspexit.

"Eheu, Lester!" alloquitur me, "ne hunc quidem capis? Tuus ille admirabilis Armand hoc perpetravit," digito cadaver demonstrans.

Acsi gravi ictu in capite percussus essem sensi, atrique ante oculos meos circuli gyrare mihi videbantur . . .

"Accede sis eo, ad fenestram," quasi imperiosa voce Godfrey me affatur, "auramque pete recentem."

Parui automati instar, stetique quadraturae fenestrae applicitus, oculos in frequenti pascens Platea dum turbae populi sursum deorsumque fluctuabant, facinoris tam prope ad se perpetrati prorsus ignarae. Et sic denique placida multitudinis tranquillitas, item conspectus mundi cursum suum solito more perficientis partem dumtaxat fiduciae mei atque vires mihi restaurarunt. Verum ne nunc quidem satis intellexi.

"Fuitne is Armand?" quaero vultum in cubiculum revertens, "Armandne in angulo iacebat?"

"Certissime is ipse fuit," respondet Godfrey. "Quis alius id esse poterat?"

"Godfrey," subito clamavi, quum meminisse inciperem, "vidistine eius oculos dum ibi iacens observabat hominem circa arcam occupatum?"

"Vidi; vidi eius oculos."

"Hi iidem erant oculi . . ."

"Iidem oculi."

"Risus autem—audivistine eum risum?"

"Audivi, profecto."

"Ego hunc iam antea audivi," asserui ego, "tu autem nervos meos esse putavisti!"

Paululum conticui, quod memoriá eius rei cohorrui.

"Eccur iacebat illic Armand tam quiete?" denique rogavi. "Fuitne saucius?"

Godfrey leni motu cornu indicabat.

"I, vide tu ipse," respondit.

Aliquid iuxta parietem iacebat eo in loco ubi eam figuram videram, et ut proclinans specto, magnum animadverto rete, subtiliter textum, sed validissimum.

"Istud rete," inquit Godfrey, "per gradus ascendenti Armand capiti iniectum est, aut vero cubiculum intranti circumiectum. Tum hic, qui modo mortuus iacet, se in eum praecipitavit, funeque eum obvolvit et colligavit."

Retibus retrusis, parvum in tabulato cumulum animadverti serilium discissorum.

"Prorsus ita," assentior ego, "certe is viribus ad id moliendum par erat. Nonne, Godfrey, staturae magnitudinem huius animadvertisti? Gigas enim fere fuit!"

"Tamen nisi Armand id voluisset, hic id nullo pacto perficere potuisset," refert Godfrey breviter. "Ut vidisti, ipse nullo prorsus labore se eripuit," explicat Godfrey, reti sublato, magnas in eo fissuras ostentans. "Viam sibi, dum ibi iacebat, rete discindendo aperuit—quod me praescire decebat—scire me decebat eum vinctum non fuisse—tempus tantum eum opperiri—sed ista omnia tam subito erant peracta . . ."

Rete interim irá ac taedio in tabulatum abiecit. Dein ante arcam Boulé constitit, eamque bono animo speculabatur, et post pauca minuta vultus eius clarescere coepit.

Operimentum fere omnino erat avulsum ac discerptum, atque arca, quasi etiam plus audax et petulans sua

pulchritudine in medio stabat, ut mihi quidem parebat, lumine solis offusa, cuius iubar singulae musivi operis particulae fulgentes ac resplendentes reverberabant.

"Capiemus tamen eum, mi Simmonds," ait Godfrey in eum renidens. "Quin, profecto, iam etiam tenemus eum. Nihil nisi tempus opperiemur, et ipse sua sponte nobis occurret. Age, Simmonds, asportato hanc arcam, recondasque eam in fortissimam ac munitissimam cellam in vestrae decuriae statione; clavim autem tu ipse fer."

"Quid ais? Obserari eam vis in cella?" quaerit is stupens.

"Obserabis, profecto, eam," refert Godfrey. "Ista sola nostra salus est." Vultus eius rubebat; iam iterum alacer ipsum se esse sensit, de victoria confidens. "Nonne tu has res administras? Ergo in cella forti hanc obserabis, nec cuiquam rationes reddes."

"Id facile fiet," ridebat Simmonds. "Nec rationes ullas habebo."

"Imo vero habes," inquit Godfrey, obtutum fere hypnoticum in eum convertens. "Id tu statues, quoniam ego id sic statui volo, et quoniam ego aio futurum, ut serius aut citius, si hanc arcam tutam servaveris, ubi a nullo attrectari possit, is qui desideratur sua sponte in manus nostras veniet. Quin, Simmonds, et plus tibi dicam: si eum ceperimus, pulcherrimam quam unquam historiam habebo, tum autem in omni orbe famá cluebis. Francia te, Simmonds, Equitem creabit Honoris, bene memineris. Nonne putas vittulam in ocello nodulario praestantem praebituram speciem?"

Simmonds disserentem, quasi subito mente captum spectabat. Quin et ego haud obscure dubitare coepi, utrum spe deiectum, exspectatione deceptum ac delusum Godfrey non etiam sana mens uná deseruisset.

At ipse, nostras hariolatus sententias, in cachinnum erupit.

"Minime, equidem," fatur dein magis serio, "ego vero non nugas ago. Quin admodum serio te, Simmonds, moneo futurum, ut si istum furciferum ceperimus, maximum ac praeclarissimum facinus perficiemus. Is enim temporum nostrorum omnium malefactorum princeps est—hoc autem, Lester, repeto sine exceptione. Ac nunc tandem fortasse mecum idem senties."

Et nunc, quum Armand, tam politum, tam sui compotem, tamque moribus distinctum ac probatum ex una parte in memoria haberem, ex altera autem quum sub oculis cernerem cadaver novissimae suae victimae, pendens animi annui.

"Ast quisnam ipse est?" quaero. "Scisne quis ipse sit Godfrey."

"En arceram," interpellat Simmonds, et in ostio domús pulsus percrepuit, ipse autem ad aperiendum deorsum properavit.

"Nunc vero age, Lester," brachium suum meo iungens fatur Godfrey, "discedamus. Nihil amplius hic est quod nos detineat. Ianuá posticá exibimus. Satis superque concitationis experti sumus in praesentia dumtaxat—nonne putas?"

"Ego certe satis," assensus respondi, secutusque eum sum per ambitum ad alios gradus, tum deorsum, denique foras per lavatrinam.

"Ast, Godfrey, quisnam ille homo est?" quaesivi iterum. "Cur illum misellum supra occidit? Curnam occidit Drouet et Vantine? Quonam modo penetravit aedes Vantine? Quid haec omnia sibi volunt?

"A," respondit ille, leni risu me contuitus, "ista ipsa est quaestionis summa—circa quid haec omnia versentur! Verum haec, nunc in via, haud dirimere possumus. Praeterea et vellem cuncta haec mecum per quietem reputare, mi Lester, et te id perpendere volo. Interim, si per otium licuerit, hac vespera ad te decurram, tunc licebit totum id pertractare. Idne tibi placebit?"

"Vel maxime," respondi, "per Deorum tamen fidem fallere me nolito."

CAPUT XXI

Godfrey Fabulam Poeticam Texit.

Vereri iam coepi ne quum nox iam in serum vergeret, Godfrey, qui visum me venturum se spoponderat, me falleret, quum denique gratum eius in ianua pulsum audivi. Festinavi ad eum admittendum et mox intellexi e suspirio allevationis, quo se in artisellium recidit, quam esset viribus animoque defessus.

"Te subinde visere, tecumque, mi Lester, colloqui, me revera reficit," fatur interea dum oblatum convolvulum accipit. Et bono animo in me renidens, pergit: "Et post exantlatos arduos diei labores quietem mihi affert."

"Non profecto capio," excipio ego, "unde tantas vires haurias. Iste unicus casus me tantum quod non omnino prostravit."

"Equidem haud saepe tam in laboriosum casum incidimus," respondet in sella reclinis. "Quin ut verum fatear, iam dudum nihil tractavi quod huic comparandum esset. Circa plurima scelera nihil prorsus mysterii est."

"At hic casus certe mysteriorum plenus est," notavi ego.

"Unum tantum est quod rem mysteriosam reddit," explicat ille, "absentia causae efficientis. Simul enim atque causa

intelligitur, etiam perpetrator reperitur. Ubi vero causa erui nequit nihil quisquam proficit."

"Mihi vero secus videtur," excipio ego. "Non enim sola causae absentia rem mysteriosam reddit, sed circa eam omnia. Namque ego nec cur, nec quomodo res perpetrata sit, capio. Quum eam totam rem mecum recolo, ita mihi paret, quasi in ambagibus verser, e quibus nullam excedendi viam reperio."

"Iam fiet, mi Lester, ut viam reperias," solatur Godfrey quiete, "et hoc mox."

"Si habes quo rem declares, Godfrey," obtestor ego, "fac per Deorum fidem, declara! Noli me in his ambagibus vel momento, quam sit necesse, longius constrictum tenere. Tantum enim istam rem in animo revolvitavi, ut mens iam mea filis confusis sit simillima. Visne innuere tibi totam rem iam exploratam esse?"

"'Exploratam' paullo nimis agens est verbum. Haud multum profecto in isto mundo est quod exploratum habeamus. Fac dicamus admodum me 'suspicari.'" Oculis ad laquear levatis paulisper conticuit. Tum, "Memineris, mi Lester," inquit, "te quondam me reprehendisse—etiam vespera nuperna me somnia texere poetica; at nunc haec somnia factis sunt comprobata."

"Omnia ea indicta esse velim," humiliter obtestor.

"Ista colloquia alio quoque modo usui sunt," pergit Godfrey fere per circuitum, "nam ea et meas ideas repurgant. Vix credideris quantum iuvet quum casum meum tibi propono, tu autem argumenta mihi obiectas. Quum tu iurisprudentiá sis exercitatus, contraria facile deprehendis, quocirca difficilius est iurisperitos quam homines communes coarguere. Tu experientiá doctus es evidentias ponderare;

proinde nunquam sino me theoriis convinci, donec tu a me victus sis. Quin ne tunc quidem semper," subridens adiecit.

"Euge, gratum mihi est scire me subinde usui esse," respondi "etiamsi cos modo sim, qua iudicium tuum exacuas. Prohinc velis procedere, plusque somniare. Dic mihi, sodes, primum quí id evenisset ut tu et Simmonds Armand sequeremini."

"Dictu haud difficile; quia reperi eum Armand non esse. Felix Armand hoc temporis momento Parisiis est. Tute nimis credulum praebuisti, Lester."

"Va, quin mihi nullum dubium subiit eum Armand non esse," balbutivi ego. "Ipsi enim cognitum erat me remulcale misisse—novit et responsum consortii . . ."

"Utique novit, quia remulcale tuum ad consortes Armand nunquam, sed ad conductitium quemdam huius nebulonis pervenit; responsum autem ille satelles tibi misit. Amicus noster iste ignotus utique praevidit futurum ut simul atque cognitum esset errorem esse commissum, remulcale ad Armand missum iri, et secundum id cavit."

"Ergo tu usque credis arcam consulto fuisse Vantine missam, non casu?"

"Credo firmissime. Arca ab Armand bona fide est missa, quia crediderunt eam a Vantine praestinatam esse—quae omnia a Magno illo Ignoto rite fuerunt administrata."

"Dic, sodes, Godfrey, quí haec omnia tibi constant?"

"Hem, satis facile. Quum tu mihi heri de Armand narrabas, scivi, aut scire me putavi, molimentum quoddam sublatere. Sed ut res certe constaret, nostro homini Parisiis remulcavi ut in rem inquireret. Noster homo statim adivit patrem

Armand, ibique varia scitu digna comperit. Unum erat, filium Felicem Armand Parisiis esse; alterum, nullum consortii membrum de tuo remulcali aut de responso ad id, quidquam scire; tertium, etiamsi remulcale accepissent, non intellecturos fuisse, quoniam e libris Armand manifestum est eam arcam a Vantine quindenis francorum millibus praestinatam esse."

"Non istam!" obverto ego.

"Imo istam ipsam. Quin et eo pretio vilis existimanda est. Consortes Armand utique de fabula circa Montespan nihil sciverunt—nihil nisi lucro vendiderunt."

"Capere plane non queo!" balbutio ego. "Vantine ipse mihi fassus est se istam arcam non praestinasse."

"Nec praestinavit. Sed alius quis eius nomine emit, et ad eum mitti iussit."

"Et solvit quindena francorum millia pro ea?"

"Prorsus ita—et solvit pro ea consortio Armand quindena francorum millia."

"Nonne munusculum sumptuosum?" timide quaero, quod caput meum iterum gyrare coepit.

"A, id non muneris loco habebatur. Emptori in animo erat eam sibi vindicare—sed mors Vantine eum fefellit. Si id non accidisset—quae enim accidunt, nemo praesagire potest—omnia ex sententia evenissent, nec quisquam unquam verum comperisset."

"At quonam consilio id egit? Anne portorium voluit evitare?"

"Va, nihil tam exigui! Praeterea ipse portorium Vantine rependere debuisset. Tibine id rependit?"

"Minime," inquam. "Nihil quod rependatur superesse putavi. Vantine revera portorium ob arcam abs se emptam solvit; siquidem ea fuit quam professio[1] sua ostenderat. Ille alius debebat solvere portorium ob eam quam invexerat, proinde nihil reperi veluti quod substantiae[2] Vantine ab aliquo deberetur. Potest interim aerario aliquid deberi, quandoquidem arca, quam Vantine importaverat multo plus valebat quam quod professio sua exhibebat."

"Nullum dubium; ac profecto illa alia arca est quam Vantine emerat. Illa utique ad titulum istius nebulonis erat consignata,[3] Neo Eboraci. Consilium eius profecto satis clarum est—adire Vantine tamquam consortii Armand vices agens, aut vero ut dominus arcae Montespan, easque emutare. Mors Vantine consilia eius frustravit, proinde id tecum perficiendum erat. Quin etiam tum facile id effecturus erat, nisi mors Vantine atque Drouet incidens nostrum animum ad arcam vertisset; nos secuti sumus eum, atque eventa postmeridiana inciderunt."

"Et haec omnia per satellitem suum, conductitium quemdam consortii
Armand tu existimas eum perfecisse?"

"Quis hoc dubitet? Diribitor, qui putativum venum[4] hero Vantine effecerat, mercedonium[5] ob id accepit, biduo hinc munere se abdicavit—primum ac tuum remulcale acceperat, eique responderat. Decuria lictorum Parisiaca desiderat eum, sed utrum reperiat, dubium est."

Ut rem comprehendam meditabundus tacui, tum impatiens,

"Cuncta haec," inquam, "satis clara. Arca, ut asseris, commutari poterat—nec te falli puto—at ista omnia ad

exitum non ducunt. Curnam illae commutabantur? Quidnam circa illam arcam Boulé est ut iste ignotus caedem eius causá committere non dubitet? Num ille putat litteras eas usque intus latere?"

"Nunc iam intelligit eas non ibi celari—tu enim illi patefecisti. Antea de litteris nihil habebat comperti. Nam si scivisset, eas ante missam arcam exemisset."

"Quid ergo est?" quaero. "Atque praeprimis, Godfrey, quid iste scordalus delitescat domi Vantine, duosque homines occidat? An isti ei in arca occupato supervenerunt?"

"Nulla ratio mihi suadet eum unquam intra domum Vantine fuisse," immotus ait Godfrey; "hoc est, usque eo dum tu ipse eum illuc hoc postmeridiem induxisti."

"At Godfrey," obverto ego, "ista prorsus absurda sunt. Oportet eum intrasse domum, quí enim alias poterat Vantine et Drouet occidere?"

"Quisnam asserit hunc eos occidisse?"

"Si ipse eos non occidit, quisnam id fecit?"

Godfrey binos ternosque haustus fumi efflavit interea meditatus, dum ego fixis oculis mecum contemplabar.

"Equidem," fari denique pergit, "iam nunc paulisper somnia poetica effingere pergam. Mox ad mirum tuum amicum Armand, ut eum interea etiam aeque sic appellemus licet, revertemur. Iste certe homo praeter consuetum ordinem est."

"Nihil de hoc dubito," dixi assensus.

"Ego vero nihil nisi reptere, quae iam ante dixi, queo—ut mea fert opinio, ipse princeps est omnium huius aevi malefactorum."

"Si ipse vel maxime malefactor est, certe est insignis," assensus respondi. "At difficile mihi creditu est eum malefactorem esse. Nam hominum omnium, quem unquam conveni, is cultissimus est."

"Est utique. Et ob id est perniciosus. Malefactor ignarus nunquam est perniciosus—ergastula[6] his ignaris malefactoribus scatent. At cultos et politos caveris. Ut quis malefactor insignis evadat, facultatibus eniteat oportet, mi Lester."

"Ast cur quisquam dotibus animi praeditus malefactor evadat, quaero. Si par sit quaestu honesto victum mereri, cur inhonestus fieri malit?"

"Prae omnibus aliis plerique malefactores e libera voluntate, non ex necessitate fiunt malefactores; hominem cultum vitae genus concitatum eo allectat, ut plurimum. Unquamne, mi Lester, tecum reputavisti quantus ludus sit societatem humanam ludere, et leges pedibus calcare, item perspectum habere omnia tibi male ominari, et tamen victor evadere? Tum etiam, ut puto, maximus quisque malefactor etiam aliquantum insanit."

"Vix dubito," assentior.

"Perinde ut quisque probissimus modicum etiam insanit," pergit cito Godfrey. "Aeque quisque novitatis propugnator, notionibusque novis inflammatus, paullulum insanit. Sani sunt homines mediani ac mediocres, qui satis probi sunt, et tamen opportune clanculum mentiuntur, quique subinde a recto virtutum tramite seduci sinunt, qui temporibus et locis cedunt, atque vitam commodam ac tranquillam ducere

tentant. Repetere, mi Lester, non dubito hunc homullum grandem esse malefactorem, qui vitá fruatur longe uberiori quam sive ego sive tu. Aveo speroque eum quondam convenire posse—non velificatione pusilla, ut isthaec, sed in pugna, comminus. Ego utique devincerer a fronte et ab alis, undique—tamen me oblectaret!" finit oculis in me refulgentibus.

"Omnis assentior!" inquam, "sed age, prosequere tua somnia."

"En habeto. Iste herus Armand malefactor est insignis, proin habet asseclas, quibus, siquidem uno tempore uni tantum loco interesse possit, in exsequendis quibusdam negotiis particularibus eum niti necesse est. Ad haec rite administranda eos nutui suo obtemperare oportet. Hanc autem obedientiam abiectam et coecam, uti apud malefactores fere assolet, uno nonnisi modo inculcare potest—timore. Obedientiam recusantibus una poena tantum est—mors. Modus autem infligendae mortis tam certus est atque arcanus, ut fere super naturam positus esse videatur. Quandoquidem repertum est rebelles et proditores ineluctabili et immutabili modo, ex effectu pusilli vulneris, manui rectae, paullo supra iuncturam digitorum inflicti."

Narrationi iam omnis fui intentus, ut facile credes, praesagire enim coepi quo ista somnia tenderent.

"Supremitatem et auctoritatem," pergit Godfrey, "absolutam Armand hoc secreto tuetur. Fit tamen subinde ut proditionis illecebris aliqui capiantur. Armand hanc arcam in Americam mittit. Ipse non ignorat vim proditionis illectandi fore etiam maiorem; proditionem timet, machinationem comminiscitur in arca, quae poenam mortis infligat in proditorem eo prorsus modo quo ipse eam infligere solitus sit—ictu venenato in rectam manum inferendo. Terrorem quem hunc

in modum suis incusserit asseclis, facile tibi finxeris. Tempore proditionis ipse nequaquam prope est, et proditor tamen moritur extemplo et certissime! Mirum profecto se ulciscendi consilium istud est! Et hoc omni arte summi ingenii effectui datum est."

"Verumtamen," quaero ego, "quemnam actum proditionis verebatur Armand?"

"Actum aperiendi foruli occulti."

"Tu ergo usque credis mechanisma venenatum?"

"Nihil magis. Funestus eventus novissimus coniecturam comprobat."

"Mihi quidem haud liquet," obverto exspes.

"Quin, Lester," obtestatur Godfrey, "res luce solis clarior est. Quisnam ille gigas barbatus fuit? Proditor, sine dubitatione. Comperiemur mox eum ex asseclis Armand fuisse. Secutus ipse est Armand in Americam, insidias ei tetendit, cepit eum reti, manus pedesque eius vinxit. Num putas Armand hunc in illa domo interesse ignoravisse? An etiam credis eum valuisse Armand capere et vincire invitum?"

"Ego vero perspicere nequeo quemadmodum Armand, quum in eius potestatem incideret, eluctari potuisset."

"Non perspicis? Atqui tu ipse testis fuisti vidistique eum revera vinctum non fuisse—nempe sese liberasse."

"Id verum est," meditabundus annui.

"Consummemus ergo historiam," properat Godfrey narrare. "Proditor invenit secretum arcae; sequitur Armand Neo Eboracum, clam prosequitur eum in domum Plateae Septimae, eum ibi praestolatur, capit et vincit eum. Victoriá fere demens—insanam modulatur cantilenam circa vindictam, vindictam, vindictam! Atque, ut victoria sua prorsus esset plena, captivum suum non illico interfecit. Eum potius in angulum provolvit, atque ad involucra arcae

revellenda se accingit. Summa victoriae futura est quum occultum forulum sub oculis ipsius Armand evellere potuerit. Armand autem in angulo iacet oculis flagrantibus, quoniam revera haec potius sua victoria est futura!"

"Victoria futura?" quaero. "Quidnam eo verbo innuere vis?"

"Scilicet quod eodem momento quo proditor aperturus erat forulum, mechanismate venenato feriendus erat! Hoc proposito Armand iners exspectabat."

Halitans prae stupore et admiratione in sella reclinavi. Quod haec non perspexi coecum me esse oportuit! Armand enim commodum iacere poterat et tempus opperiri dum ille in laqueum incidisset. Non igitur mirum si ibi flagrantibus oculis iacuerit dum alter phrenesi agitatus arcam rimaretur!

"Non usque eo quid futurum esset perspexi," pergit Godfrey, "dum proditor in arcam proclinatus choragia quaeritans arcam palparet. Nullum tempus morae erat dandum—in cubiculum irrui. Armand puncto temporis evanuit, et gigas perinde effugere tentabat, sed ego eum ante ianuam intercepi. De eius pernicie tum ne somniavi quidem; de Armand enim superstitando ne cogitandum quidem erat. Et tamen superstitavit. Nunc demum, ubi tam sero est, rem intelligo. Necessarium illi erat hunc occidere, nihil erat ambigui. Quantacunque erant discrimina, occidi hunc oportebat."

"Eccur?" quaero. "Quamobrem?"

"Ad occludendam linguam. Quid si eum cepissemus? Num tu secretum Armand vel pro momento securum putas futurum? Sic itaque eum occidendum iudicavit—occidendum unco venenato—et occidit eum, quin, super, etiam evasit! Nunquam antea in mea vita tam fatuum tamque delusum

me sensi, quam quum ianuam ante oculos mihi obiici percipiebam."

"Fortasse et id e proviso fecit," ausus sum timide suggerere paratus iam omnia de isto singulari homine credere. "Novit fortasse per totum id tempus nos adesse."

"Praeter omne dubium," assentitur Godfrey amare. "Quare alioquin serra recidiva in ianua esset exterius? Quam me pudet hoc me non perspexisse! Quí poteram tam stultus mihi eum in viis Neo Eboraci, se ignaro, insectari posse persuadere? Ipse inde ab initio novit futurum ut nos eum insectaturi essemus non imparatum!"

"At haec incredibilia videntur!" timide obtestor ego. "Fidem prorsus excedit!"

"Nihil ei factu incredibile de eo existimaveris!"

"Sed discrimina—reputa modo discrimina quae is incurreret."

"Quid ipse discrimina curat? Is ea contemnit—et iuste. Nonne effugit?"

"Etiam," annuo, "pulchre effugit praeter dubitationem."

"Ergo haec est istius pomeridianae tragoediae historia, ut ego quidem opinor," prosequitur Godfrey magis compositus. "Nunc autem hinc me auferam, ut res tu tecum reputare possis. Si eaedem sibi minus consistant, me docebis. At vero sibi consistent—ita debent—sunt enim verae!"

"Sed quid de Armand?" obtestor ego. "Numquid capere eum non tentabis?
Anne eum evadere sines?"

"Ipse vero non evadet!" ait Godfrey oculis iterum emicantibus. "Nihil oportebit nos eum quaerere; habemus enim tendiculam nostram, Lester, cuius esca talis est, ut ei resistere nequeat—arcam Boulé!"

"At ipse novit tendiculam eam esse."

"Sane, quam maxime!"

"Et tu revera putas eum in illam incursurum?" dubius quaero.

"Scio eum id facturum! Quodam die tentabit arcam e cella chalybeia decuriae Viae Vigesimae Tertiae, in qua seris occlusa detinetur, eripere."

Ego caput quasso dubitans.

"Non ipse ita insanit," inquam. "Nemo a sobrietate tam est alienus.
Potius eam deseret placidoque animo Parisios redibit."

"Non faciet si ís sit quem eum esse arbitror," ait Godfrey manu ansam ianuae tenens. "Eam ipse nunquam derelinquet! Exspecta modo, Lester; uno alterove die sciemus uter nostrum vates fuerit probior. Unum tantum vereor," inquit vultu tristiori, "ne ipse nobis invitis arcam subducat!"

His verbis secundum ambitum discessit, meque in eum respectantem reliquit.

[1] *Professio, -onis*, linguá negotiali atque iuridica Romanorum significat rationes redditas, quas quaestores et publicani a civibus exegerunt, sive occasione censús publici, sive pendendis tributis ac vectigalibus, atque portoriis. *Profitendum* nempe civi cuique erat quot iugera agrorum,

vinearum, haberet, quantum annonae, proventus cuiuslibet, quantum pecuniae possideret, aut vero quid et quanto valore importaret. Responsio, sive fassio ad haec quaesita erat *professio*.

[2] *Substantia, -ae*, est summa omnium cuiusque civis bonorum, tam immobilium quam mobilium, sive vivus ea possideat, sive mortuus relinquat.

[3] *Cónsigno,1 -vi, -tum*, signo, sigillo, litteris aliquid, cuius id sit, declarare; litteris mandare, perscribere. Quum titulus, sive insignaculum, cistae, manipulo, inscribitur, cuius id sit, quo quid mittendum, tradendum, devehendum sit, *consignare* dicimus.

[4] *Putativus venus, -ús*, est venditio rei ficta, falsa ex parte venditoris, aut institoris, quum aliquid falsi in locum veri subornat ac vendit, quin sive mercator, h. e. dominus tabernae, sive fabricator, sive vero emptor conscius rei sit: *putant* enim et mercem veram esse, et venum sive venditionem germanam et genuinam factam esse.

[5] *Mercedónium, -ii*, vocabulum compositum ex *mercem* et *dare*, sive *donare*; significat autem solutionem mercedis, item diem solutionis mercedis, denique, etiam mercedem quam *internuntiis* damus. *Internuntius* autem, inter alia, hominem significat qui inter venditorem atque emptorem intercedit; is enim non semper mercede conducitur, sed proprio nomine quaerit emptores et adventores, et hoc quaestu *mercedonium* meret.

[6] *Ergastulum, -i*, vocabulum Graeco-Latinum, significat autem carcerem emendatorium, in quantum captivi illic arduis laboribus exercitantur, quo fit aut opificium quoddam utile addiscant, quo libertati restituti vitam utilem ac fructuosam deinceps ducere queant.

CAPUT XXII

Crochard ille Invicibilis

Semel dumtaxat Godfrey spe sua deceptus erat iudicandus, siquidem plures dies, quin quidquam accidisset, praeteriverunt—hoc est, nihil quod ad arcam referri posset. Inquisitio in novissimae victimae mortem utique instituta erat, et mihi iterum obtigit munus testimonii ante iuratos mortuarii perhibendi. Nunc denique fatendum mihi est me perquam fatui vicem agere paruisse, quum et diurna scommata in advocatum iactabant, qui muscipulam,[1] quum quae nunc iam liquido constaret, tam perspicua erat, imprudens incidisset.

Mensuris Bertillon de mortuo institutis ac per remulcale Parisios nuntiatis, inde sine mora relatum est caesum hunc quemdam Morel, decuriae illic ut desperatum malefactorem notissimum fuisse; quin herus Lepine rem tantae gravitatis esse putabat, ut postridie remulcaret se Inspectorem Pigot, qui in totam rem funditus inspiceret, Neo Eboracum delegaturum, quique hic cum decuria ad comprehendendum sicarium de efficacissimis rationibus tractaret. Inspector Pigot ab Havre per *La Savoie* erat soluturus.

Interea satellites Grady, Simmonds duce, omnibus enisi viribus, latebram profugi reperire conabantur; unde veluti everriculo totam urbem irretiverunt, quo quidem aliqui capti sunt pisciculi, sed ille quem decuria praeprimis

concupiverat, inter eos repertus non est. Ne pauxillum quidem profugi vestigium enucleatum est; is penitissime evanuit, unde Grady post paucos dies edicere, eum Neo Eboraco excessisse, non dubitavit.

Scilicet Grady a diurnis multum vexatus, ad premendum casum iterum rediit, praesertim lacessente *Record*, qui casus sibi supra vires humanas esse videbatur. Singularis huius mysterii natura, eventuumque circa eundem, tamquam ludus parebant phantasiae, porro quod tres prorsus eodem insolito modo caesi fuissent, et quod omnis aberat hypothesis quae tres caedes rationi perspicuas reddere potuisset—haud mirum erat quod animi omnium fere in hunc casum fuerunt defixi. Omnium paene civitatum agentes feriatici[2] sua habebant theoremata alicui usui apta—quorum pleraque utique a longissimo erant petita!

Ea tempestate Grady grandia ac fusa edidit effata de suis consiliis molimentisque malefactorem capiendi; factum tamen quam verba facundius probabat tres fuisse caesos, nec quemquam punitum; scelera commissa plura, sicarium usque frui libertate, liberumque futurum videri; unde per se fluebat quod diurna extritis omnibus casús vicissitatibus, sententiam communitatis passim agitare coeperunt, aliquid alicubi male geri, decuriamque agentum ventilari ac repurgari, at hoc inde a capite, oportere.

Arca Boulé in statione decuriali Viae Vigesimae Tertiae occlusa et obserata mansit; clavimque cellae Simmonds in sacculo gestabat. Nunc iam scio eum circa arcam tantá quantá caeteram plebem fuisse caligine mersum; et populus quidem certe in summis tenebris coecutiebat, siquidem in relatis de duobus caesis prioribus, arcae prorsus nulla fiebat mentio, in novissimo autem casu vix per incidens. Ut ex his relatis colligi poterat, relatoribus unum circa arcam clarum esse videbatur, de surreptitia importatione eius, tamquam

artis thesauri hic agi. Eventus istius generis tanto solent esse numero, ut animum fere neminis devinciant.

Verum Simmonds usque eo pervenit ut intelligeret solium Grady nutare; fortasse iam etiam perspexit suum quoque caput in tuto haud esse, proinde sua fata fatis Grady iungenda esse duxit, quem unicum existimabat se ex ambagibus educere posse. Godfrey plurimum attinere censuit ut arca in cella occlusa contineretur, et est contenta. Quod vero ad Grady attinet, haud puto eum, etiam quum ad ultima ventum est, satis intellexisse quam partem arca in cunctis his eventibus sortita esset.

Interim tamen dum arca vulgi attentionem haudquaquam devinciebat, ac dum plerique relatorum eam iam pridem oblivioni tradiderunt, non parum mirabar quum viderem quanta sollertia Godfrey elaboraret ut fugitivum per diurnum edocere satageret ubi arca esset, et quemadmodum custodiretur. Interea dum caetera diurna mirarentur suam stupiditatem, Godfrey iterum iterumque descripsit arcam in munitissimam cellam stationis Viae Vigessimae Tertiae esse reconditam; cellam esse talem, cuius clathra e chalybe chromo-nicolino esset facta, quae nulla serra eroderet; cellam talem, cuius sera non solum clavi, sed et pessulo calculato,[3] uni tantum cognito, teneatur; cellam a caeteris esse seiunctam solamque in tertio ambitu esse sitam ante oculos lictoris excubantis, ita ut nec die nec nocte, quin statim deprehendatur, accedere quisquam possit; cellam esse, cuius ianua suscitatorio automatico in decurionis scriptoria, in officina antica, iuncta sit; uno verbo, cellam esse, unde nemo effugere, quo nemo intrare, quin deprehendatur, possit.

De ipsa arca Boulé Godfrey parum disserebat, cuius historiam usque eo continendam censuit, donec eventus ad ultum finem vergeret, quod certo futurum credidit; at

singularia, ut ego modo narravi, in *Record* continuo recolebantur, quum casu quodam mihi Godfrey in via occurrere contigisset, quum eum commonui unum tantum id agendo effecturum, nempe ut fugitivum omnino absterreret, etiamsi consilia arcá potiundi usque non deposuisset, de qua re ego vehementer dubitarem. At Godfrey risit tantum.

"Nihil prorsus verendum quominus is a proposito deterreatur," respondit. "Non enim lurco is ea ex farina est. Si recte eum iudico, ita temere audens is est, ut molimentum insuperabile eum magis allectet. Quo coeptum magis arduum sit, eo plus eum allicit. Eá sententiá ductus hoc coeptum tam arduum describo."

"At nemo sanus eam arcam temerare susciperet," obverto ego. "Id enim omnino fieri nequit."

"Ita quidem paret, nec infitias ibo," assentitur ipse. "Nihilo tamen secius, quovis mane sollicitudine trepidans expergiscor, accurroque ad telephonum quaesitum utrum arca adhuc salva sit. Si de ullis insuper praesidiis cogitare possem, adhibere non dubitarem."

His auditis anceps contueor Godfrey, iocari enim eum putavi. Consilio meo perspecto leni risu in me respexit.

"Equidem, mi Lester," respondit, "nunquam in vita mea magis fui in serio. Hunc tu, ut ego, non videris ex aequo aestimare. Insigni ille pollet ingenio; nihil eum exsuperat. Coepta levia is aspernatur; siquid ipsi leve videtur, indurat, quasi sit ludicrum. Proditum de eo accepi eum aliquos suas gemmas ac pretiosa non satis in tuto habere admonuisse, quum autem hi suos thesauros in tutiorem condidissent locum, eos hunc eripuisse."

"Nonne hoc in absurdis habendum est?" quaero ego.

"Non quidem ex obtutu suo. Ipse enim non furatur ex egestate, animo vult concitari."

"Tu itaque nosti quis ipse sit?" quaero.

"Ita puto—existimo me scire; verum ne tibi quidem revelabo donec certo sciam. Libet tamen unum hoc fateri,—si iste is sit quem eum esse putem ingenium meum cum ingenio eius conserere voluptati mihi esset. His in regionibus, cis oceanum, eius similem non habemus—hoc autem miserum est!"

Mihi quidem hac de re dubitare licere videbatur, non enim is sum qui praedones ingenuos, etiam in poesi, admirandos esse putem. Quantumcunque decorus ac pictorius quisque fur sit, tamen est fur. Fortasse est mea, ut advocati, experientia, aut forte modo ego sum angusti animi, tamen maleficium, quamcunque egregie exerceatur, in causa est quare id rem sordidam et turpem censeam. Haud ignoro esse qui has res ex alio obtutu aestimanda putent. Godfrey unus horum est.

Docui eum, si suae valeant suspitiones, futurum esse ut suum ingenium cum ingenio Grandis Ignoti ei mox conserere liceret.

"Sane quidem," annuit, "sed terror lethalis me agitat—uti hactenus semper ex quo quis ipse esset, suspicari coeperim. Non aliter sentio quam novitius qui latrunculos lusum cum magistro congredi exspectabat—intra senos motus calculorum in incitas[3] redagendus.

"Equidem merum novitium haud te censuerim," refero aridule.

"Longe aliter Grandis Ignotus," regerit Godfrey, mihique valedicit. Praeterquam quod eum nunc casu conveneram,

alias nunquam illi occurri, et hoc haud profuit, quoniam complura circa hoc negotium necdum intellexi. Quadam profecto vespera, quum fumá meá accensá haec omnia mecum in animo pertractaturus consederam, nihil omnino e cunctis his rebus me intelligere reperi. Sententia quidem Godfrey ad amussim sibi consistebat, sed ad nullum exitum ducebat. Ecquo demum modo sunt Drouet atque Vantine occisi? Cur fuerunt occisi? Quod fuit mysterium arcae? Uno verbo, quid totum istud mysterium sibi volebat? Nullis his quaestionibus respondere quibam; responsa vero quae effingeram ipsa adeo erant absurda et nulla, ut cum taedio ea respuerem. Postremo etiam reperi istam rem ipsis meis laboribus officere, proin ex animo meo eam elisi, et quoties mihi in animum irrepere tentabat, firma voluntate eam excussi et repuli.

Verum enim vero, quamquam vigil eam arcere satis commode poteram, idem per quietem facere nequivi, unde somnia sensim deteriora fiebant. Namque non deerat coluber mihi somnianti, qui dentibus veneno stillantibus mihi insidiaretur, subinde cum capite Armand, alias cum vultu mihi ignoto, semper tamen ultra fidem turpis; viscosum eius corpus opere musivo micabat; pedes eius squammosi in similitudinem arcae Boulé erant incurvi; nonnunquam sol in fronte eius splendebat, adinstar oculi immanis. Monstrum hoc iterum iterumque vidi tres victimas suas interimere; postea vero caput attollere, oculis in me defixis mihi imminere ceu victimae suae quartae . . . At non ulterius tentabo ista hic somnia describere; quae ne nunc quidem sine trepidatione recolere queo.

Vespera quadam, quum moestus animique pendens in cubiculo sederem, mecumque utrum non satius esset cubitum ire deliberarem, viribus fluxus et enervatus, tamen sopori me credere, ex quo sciebam me cum vagitu evigilaturum, recusans, evenit ut ianuam meam pulsare

aliquem audirem—pulsu mihi noto; laetus surrexi, ut intromitterem Godfrey.

Ex fulgore oculorum eius facile divinavi eum aliquid insoliti, quod mihi narraret, habere; ut tamen me aspexit, facies eius mutata est.

"Quidnam rei est, Lester?" quaesitabat. "Adeo mihi deiectus esse videris. Laboribusne es confectus tuis?"

"Nihil eius rei," respondi. "Dormire nequeo. Ista res mihi nervos prorsus convulsit, Godfrey. Iam somniis meis se immiscet; incubonibus opprimor."

Interim e regione mihi consedit vultu sollicitudinem prodente.

"Id rei prorsus absit!" arguit ipse. "Fac aliquo secedas, quiete vires resarcias—et hoc uberrime."

"Quies usque eo nihil mihi prodesset dum hocce mysterium irresolutum manserit; respondi. "Nihil nisi assiduus labor animum meum ab eo avocare poti est."

"Esto ergo bono animo," inquit renidens, "tui igitur gratia id primum resolvemus."

"Visne significare te id scire?"

"Scio iam quis Grandis ille Ignotus sit, tibique id statim aperiam. Perendie—die Mercurii—reliqua cuncta sciam. Tota tunc historia in diurno nostro matutino, die Iovis evulgabitur. Quid si iter pro eius diei postmeridiem parares?"

Nihil nisi emiratus eum contueri quivi. Ipse vero cum risu in me respexit.

"Vel nunc iam melius valere videris," iocatur, "acsi vitam iam pluris aestimandam putares," quibus dictis, nec rogatus, convolvulum sibi sumpsit.

"Godfrey," obtestor ego, "satius haberem si quem alium ad ludificandum tibi eligeres. Tu enim ad me intras, bombam[4] proiicis, ut videas quantam in altitudinem subsilire valeam. Tibi hoc lusui est, nec dubito, aut etiam utile ut doctrina; at nervi mei id haud ferunt."

"Mi Lester," appellat ille, "haec ne bomba quidem fuit, sed assertio facti."

"Serione id ais?"

"Ut maxime."

"Quídum, Hercle, scis . . .?"

"Antequam tibi respondeam, ego ponam quaestionem. Numquid tu nomen meum illi, quem tu ut herum Armand cognoveras, casu quodam memoravisti?"

"Memoravi," post momenti moram respondi; "ita credo. Narravi enim illi quemadmodum forulum occultum quaesissemus—et nomen tuum protuli—ipse vero sciscitabatur tu quis esses, respondique te miro ad solvenda mysteria pollere ingenio."

Godfrey capite annuit.

"Tum hoc," ait, "unum id quod non intellexi palam facit. Perge igitur, propone quaestiones."

"Paullo ante asserebas futurum ut totum istud negotium perendie scias."

"Sciam equidem."

"Quí tibi constat id futurum?"

"Quod litteras accepi, quibus id termini ponitur," et his dictis schedulam e sacculo promit, eamque mihi porrigit. "Lege."

Epistolium graphide erat scriptum manu tenerá fereque muliebri, in charta plana, non lineata. Cum sensim increscente stupore epistolium sequens insolitissimum legi:

"*Humanissime mi Here Godfrey:*
"Singularibus iis officiis quibus arcam Boulé prosequebaris, abs
te mihi ferme adulatum esse gaudeo; acumen vero tui ingenii, quo
veram eius indolem prope ad amussim evolvisti, maximi certe facio.
Officii quoque mei esse duco gratiam tibi referre ob notitias quibus
me docuisti instituta ac praesidia, quae quidem mihi summa et
absoluta videntur, quibus arca in tuto servetur. Ego quoque ipse
stationem visum ivi, cellam inspexi, cunctaque etiam singularia ita
ut tu docueras reperi.
"Quoniam te ut generosum adversarium summi facio, confidere tibi non
dubito futurum ut id quod meum sit, die Mercurii proximo recuperare
pergam, quo facto rogabo te, ut in memoriam eius rei munusculum proprium
accipere velis.
"Cum omni humanitatis officio persevero tuus
"IACOBUS CROCHARD, Ille Invincibilis."

Quum lectis litteris in Godfrey respexi, vidi eum curiose me contuentem.

"Certe hic iocus est," illi respondi. Tum iterum eum aspexi. "Hoc profecto, Godfrey haud verum et genuinum esse putas!"

"Licebit id nobis fortasse probare," immotus respondit. "Et haec una est rationum quare te visum venerim. Num Armand non apud te reliquit notulam quum te domi non offenderat?"

"Sic sane, reliquit, sua in pagella; ad manum eam habeo!" Tum digitis tremulis pugillare meum produxi, notulamque e plicatura, in qua eam condideram, exprompsi.

Vel unus obtutus satis erat. Versiculus in tergo satis prodebat hunc eadem manu quae epistolium scripserat, esse scriptam.

"Nunc ergo nomen eius cognoscis," Godfrey subiunxit, digito attrectans nomen subscriptum. "Inde a principio pro certo scivi hunc ipsum eum esse!"

Signaculum sine responso aspectabam. Nam de rebus gestis Gargantuanis huius Crochard in diurnis relatis saepenumero legi—de "Invincibili," ut se libenter vocare consuevit, nec sine iusta causa. Verumtamen suae res gestae, saltem in quantum eae in diurnis recitabantur, ita inflatae et ementitae parebant, ut nullam fidem mererentur. Ego saltem iam dudum suspicabar eum nihil nisi figmentum esse scripturientium Parisiacorum lacunas explentium veluti quoddam penu, pro siccitate praeservatum; aut vero eum genus esse hirci emissarii, cui decuria lictoria Parisiaca cuncta facinora, quibus eruendis ipsa impar esset, veluti sarcinam congestam illigare solita sit. At nunc iam Crochard ille revera exsistere videbatur; litteras eius meis tenebam

manibus; quin et cum eo collocutus eram—et ut nunc miram civilis ac politi Felicis Armand conversandi suavitatem in mentem revocavi, aliquam partem insolitissimae eius famae denique intelligere coepi.

"Nihil de eo ambigi potest," inquit Godfrey, manum ad recipiendas litteras porrigens, et ad contemplandas eas in sella reclinans. "Crochard unus est famosissimorum qui unquam vixerunt malefactorum, phantasiae adiumentorumque referctissimus, qui et lepóre cluet acutissimo. Per annos non destiti eius vitae rationem, ut litteris prodebatur, lectitando prosequi—atque inde primam suspitionem ansamque sum nactus. Ipse iam antea hominem occidit, ita ut hunc occiderat. Is eum decuriae prodiderat. Nunquam iterum proditus est."

"Quantum daemonem eum esse necesse est!" contremiscens exclamavi.

At Godfrey capite cito renuit.

"Noli de eo sic iudicare," serio obtestatur. "Usque ad suum Neo Eboraci adventum praeter eum proditorem ipse occidit neminem. Illum iure quodam—saltem legibus morum furibus propriis—occidit. Sua ipsius vita saepenumero in discrimine versabatur, sed ad servandum se nunquam alium interemit. Hoc ei in acceptis referto."

"Praeter Drouet et Vantine," noto ego.

"Casu fortuito, ob quod ipse nullo pacto in culpa est," respondit
Godfrey.

"Visne innuere hunc eos non occidisse?"

"Nullo pacto. Iste novissimus quem occiderat, fuit, ut primus, proditor. Ut ego opinor, Crochard hunc in modum ratiocinatur: adversarium occidere facile est; estque bestiale; caret omni animi subtilitate. Insuper et tollit adversarium. Vita autem ipsi Crochard sine adversariis omni prorsus sale careret. Nam ultimo etiam adversario sublato, ipsum sibi vitam adimere oporteret."

"Hominem istius generis omnino non intelligo," aio ego.

"At vide modo," arguit Godfrey, litteris iterum attrectatis. "Ipse mihi, velut adversario, honorem praestat. Num me ad perdendum postulat? Plane contra, munerari me vult. Tollit reginam suam e latrunculis, quo difficilius sit me in incitas agere."

"At vero, Godfrey, tu eas litteras certe non in seriis habes!" obtestor ego. "Si vel maxime ipse eas scripserit, id ad te ludendum fecit. Si diem statuit Mercurii, revera cras tentabit arca potiri."

"Id ego minime puto. Nonne dixi tibi eum me novitiorum numero habere? Scisne, Lester, ubinam has litteras ipse scripserit? In ipsa adeo officina *Record*. Charta ista est e maculatura[5] nostra. Ipse ibi consedit, ab ipso meo naso, ut ita dicam, haud procul, litteras has exscripsit, in pyxidem iniecit meam, forasque ambulavit. Et cuncta haec aliquando ista vespera fecit, officina nostra hominum turba scatente."

"Verum si revera sentit quod scribit, absurdum est idgenus litteras scribere. Tu modo decuriam edoceas . . ."

"Animadverte modo eum mihi in fiducia scribere."

"Tu vero fidem erga eum servabis?"

"Servabo, profecto; quin eum mihi maximum honorem tribuisse existimo.
Nec ulli has litteras nisi tibi exhibui, vel per fiduciam."

"Nullam eiusmodi fiduciam Iurisprudentia agnoscit," docui eum. "Fidem idgenus servare perinde est ac maleficio patrocinari."

"Et tu eam tamen servabis," fatur Godfrey suaviter. "Tene modo, ego, pro viribus enitar omnibus ut flagitium illud praepediam. Iam et experiemur utrum Crochard vere invincibilis sit."

"Ego quoque servabo," adstipulabar, "quandoquidem istas litteras nihil nisi verba dare existimo. Atque, praeterea," subiunxi, "etiam habeo litteras ab Armand et Fils factum confirmantes fide librorum suorum constare arcam Boulé Philippo Vantine venditam fuisse. Quando sic res se habent, eam mihi vindicabo, Museoque tradam."

"Spero tamen," cito interpellat Godfrey, "hanc rem te ante diem Mercurii non turbaturum. Post eum diem his rebus prorsus ero solutus."

"Tunc revera credis Crochard die Mercurii tentaturum arca potiri?"

"Omnino credo."

Nihil nisi humeros in responsum quassavi. Quid enim attinebat cum homine tali argumentis disceptare?

"Esto ergo, usque post diem Mercurii," assentior; Godfrey vero, de fide litterarum per collationem utrarumque certior factus, duobusque promissis quae quaesiverat a me elicitis, sospitem mihi precatus noctem, valedixit.

[1] *Muscipula, -ae*, capsa, tendicula, qua mures capi solent.

[2] *Feriaticus, -a, -um*, quod feriis, h. e. non quotidie fit, agitur, adhibetur; homines, lictores, satellites, quicunque alii, quorum nomina in elenche servitii retinentur, invocantur autem quum eorum opera egent.

[3] *Pessulus calculatus:* sic vocare lubet pagmentum, vel machinationem rationatam, cuius usus fit in arcis fortibus argentariarum, ubi thesauri, quaecumque pretiosa in tuto haberi creduntur, quarum quaedam ad indicium horologii, statis temporibus, secundum certum calculum, cuius notitia uni tantum concredi solet, certa versatione plinthidum reserari queat, nisi, ut assolet, dynami displodatur.

[3] *In incitas redigi:* in ludo latrunculorum, qui agitur in tabula lignea, duobus coloribus in parva quadrata distincta, duo lusores figuras reginae, turris, latrunculorum osseas, eburneas aut ligneas in suo quisque scutulato secundum regulas prorsum-retrorsumque motat, donec alter in angulum, sive in *incitas* agatur; is dicitur *in incitas redactus*. Hinc lingua negotiali qui *solvendo non est*, i. e. qui sua debita impar est solvendo, perinde *in incitas* dicitur reductus esse.

[4] *Bomba, -ae:* globus ferreus solidus aut cavus, quem e tormentis milites pyrotechnici eiaculari solent. Verbum est _bombio,_4 quod sonum refert insectorum volitantium; sonus ipse est *bombus*, vel *bombos*, est enim Graecum; id autem quod sonum hunc efficit est *bomba*, a Latinis saeculi quartidecimi, post inventum pulverem pyrium, atque tormentum igniarium effictum. Quam probum sit vel inde patet quod nullae linguae modernae aliud vocabulum cognoscant.

[5] *Maculatura, -ae*, vocatur charta, in qua exercitia, vel alias compositiones, saepe cum multis *maculis* et emendationibus scriptitamus.

CAPUT XXIII

Hero Pigot Obviam Imus.

Postridie tempore pomeridiano iam ex officina prodire parabam, quum
Godfrey me per telephonum provocavit.

"Quonam hodie vales modo, Lester?" quaerit ille.

"Non ex omni numero ut vellem," respondi.

"Iamne paravisti quae ad profectionem tuam die Iovis feriatam spectant omnia?"

"Id quidem, Godfrey mi, haud lepidissimum iocum esse arbitror."

"Equidem nullo modo iocor. Volo te ea apparare. Interea tamen quid tibi de haustu modicae aurae salsae, hac ipsa vespera, videtur?"

"Quam optimum. Ecquí id eveniet?"

"*La Savoie* circa horam sextam ad moratoriam appellet. Ego nostra celoce[1] ei obviam ibo. Inspectorem Pigot—agentem Francicum—paucis convenire volo. Visne interesse?"

"Quidni velim!" respondeo illi. "Ubi vis te conveniam?"

"Hora quinta in exitu Viae Libertatis."

"Adero," illi promisi. Et adfui.

Simul atque celocem ingressi sumus, soluta est, puppi in flumine retro acta, edito acuto sibilo, proraque prorsum versa, iter secundo flumine ingressa est. Celox navigium erat expeditum—*Record*, quod alia diurna plerumque superare hactenus gloriabatur, idem et nunc praestiturum erat—et quum se in cursum elaboravit, machinaeque eius ad numeros halitabant, ripae utrimque celeriter retrorsum labi parebant.

Definientia lineamenta urbis Neo Eboracenae, ut e flumine visuntur, mundi miraculorum unum efficiunt, quae ego stans contemplabar, donec in portum inferiorem iter flexissemus. Duo alii erant in stega—relatores navales ordinarii, ut puto—quibuscum Godfrey ad deliberandum de muneribus operis vespertini in diaetam descenderat; itaque ego ad proram haustum quantum poteram aurae salsae, cuius saporem iam in labris meis perceperam, progressus sum. Statua Libertatis paullo ante nos erat, ingensque facis suae lumen speculatorium aquas persultabat. Navigia innumera huc et illuc circitabant, luminibus in aquis trementibus, longe autem prorsum, aliquanto ad laevum, ab aura reverberatum lumen videbam, quod situm Insulae Coney indicabat.

Mox et Godfrey accessit, unaque stantes silentio spectaculum intuebamur.

"Nonne haec grata sunt visui?" coepit tandem fari. "Hem! cerne illam naviculam!" pergit ille, conspecta quadam celoce, in sinu deorsum festinante, nosque pedetentim assequente, ac sensim superante. "Haec certe novit quae celeritudo sit. Ista celox nostra haud limax est, ut nosti; at vide sis quam illa nos praetereat. Miror oppido quaenam illa

sit. Quae illa est navicula, navarche?" inclamat praefectum in ponte.

"Non novi eam, mi Here," respondit navarchus, telescopio seposito. "Celox privata—nomen non liquet—genus aplustris operit puppim. Vexillum fert Francicum. A tergo nobis caeterae naviculae preli[2] vehuntur," ait navarchus. "Atque illic stat *La Savoie*, sive ad moratoriam[3] lentescens."

E longinquo satis clare discerni poterat ingens cortex classiariae[4] in horizonte tenebricantis, cum ordinibus luminum emicantium.

"Haud satis solemus intelligere quam ingentes hae naves sint, donec eas e superficie aquae cernamus," noto ego. "Cernedum quam immanis illa sit."

"Et tamen ista non est e maximis quidem," refert Godfrey. "Unam e maximis subire—veluti *Olympica*—est eventus, quem memoriá non facile deleas."

La Savoie iam ita conquievit ut fluitando tantum se contra aestum sustineret, quum porta unius inferiorum adituum propandebatur. Eodem fere momento navicula pulsitans eo accessit, deligatur, quatuor viri conscendunt, ac mox intra portam evanuerunt.

"En, medici ascenderunt," inquit Godfrey. "Illic autem est celox
Francica ad latus progrediens."

Helciaria[5] moratoriae ad puppim recessit, eiusque locum celox Francica cepit. Post breve colloquium unus ex ea in portam levatus intravit *Sabaudiam*. Nostram denique vicem secuti, post ingentem aquarum turbationem ac tumultum, unde ego illisionem verebar, nos subivimus apertam portam, celoceque nostra, orá[6] ad nos traiecta, destinata, sistimus,

et paucis minutis post ego et Godfrey, cum alteris duobus in constrato grandis vectoriae eramus.

Salute inter comites meos praefectumque portae apertae utrimque data ac reddita, per angustiorem ageam[7] gummi ac fervidi metalli nidore redolentem progrediebamur, tum sursum per plures cursus graduum, donec in principe stega per scalare[8] medianum pervenimus. Duo nostri comites hic a nobis discesserunt ad videndos, ut puto, eminentiores quosdam vectores, quorum sententias circa questiones diei (ut credi licet) ex consensu vulgi cognoscere et expetere videbantur. Godfrey constitit ante officinam aerarii, pagellamque suam nomenclatoriam per fenestellam homini in septo porrexit.

"Herum Pigot, praefectum *Servitii Securitatis Parisiaci* vellem paucis convenire," inquit. "Fortasse pro tua humanitate curabis ut aliquis mediastinorum[9] nomenclatoriam meam ad eum deferat."

"Haud erit necesse, mi Here," urbane ille respondet. "Herus Pigot illic stat—vir ille canis capillis, tergo ad nos versus. Exspectandum tamen tibi erit modicum; is enim qui cum eo modo agit a consulatu Francico est, paucisque ante momentis advenit."

Vultum Inspectoris Pigot videre non poteram; animadverti tamen eius staturam admodum erectam, quae eum militari disciplina institutum prodebat. Nuntius consulatús Francici vir erat iuvenilis, mystacibus ceratis et extersis, ocularíaque gerens. Eodem tempore salutabat herum Pigot, et post aliquot verba, ex interioribus sacculis produxit involucrum[10] officialis formae, vittá rubrá circumligatum, magnoque sigillo munitum.

Herus Pigot paucis aspexit, interea dum salutator suus aliquid in aurem eius susurravit; tum nutu assensus in proximam ageam diversus est, salutatore comitante.

"Negotium officiosum, sine dubio," interpretatur aerarius, qui eventulum etiam observabat. "Herus Pigot ex optimis nostrae decuriae lictorum est, et conversationem cum eo iucundissimum comperies. Haud dubium quin negotiis mox solutus prodeat."

"Credo quidem, nisi quod interea dignissimi quoque aemuli mei adfuturi sint," respondit Godfery gestu iocoso. "Hi vestigia mea premunt—quin et iam adsunt!"

Vicenis circiter minutis proximis relatores caeterorum diurnorum non cessarunt affluere, et mox tota eorum turba officinam aerarii circumfudit. Nam fere ab omnibus diurnis aliquis specialis relator ad intervisendum herum Pigot delectus erat. Manifestum enim parebat cuncta diurna hunc eventum summi fecisse. Interim ioca bono animo iactabantur, dein aliquis mediastinorum pecunia corrumpebatur ad nomenclatorias congestae turbae ad herum Pigot deferendas, et exauditionem petentes.

Mediastinus ridens discessit, mox tamen reversus nuntiabat herum Pigot paucis minutis ad eos excipiendos paratum fore. Sed quum quinque minuta praeterivissent, nec ipse comparuisset, hi impatientes iterum tumultuari coeperunt. Isti enim reguli preli ad exspectandum invito assueti non sunt.

"Suadeo ut in castra eius impetus fiat," relator *Mundi* dicit.

Eodem fere tempore herus Pigot egressus est in ageam. Momento temporis relatores eum circumfluxerunt.

"Aestimatissimi amici a prelo," tractim, et vix ullo vestigio peregrinae enuntiationis fari coepit, simul in vultus se circumfluentium dispiciens. "Ignoscetis mihi si mei causa tam diu vobis exspectandum erat, sed rebus detinebar maximae gravitatis; quin etiam vidulo[11] meo convasando. Mediastine," subiungit, "vidulum meum ante ianuam reperies. Velis huc eum afferre, ut ad excedendum statim paratus esse possim." Mediastinus propere digressus est, herus autem Pigot se ad nos vertit: "Itaque mei amici," prosequitur, "quí potero me vobis utilem praestare."

Ex rei natura vice oratoris Godfrey fungi debebat.

"Primum, mi Here Pigot, te, in Americam advenientem, salvere iubemus," ait ille, "dein sperare libet moram, quam in patria nostra exiges, prosperrimam ac iucundissimam futuram."

"Dicis amicissime," iucundo risu respondit Francus. "Persuasum mihi est hic me omnia iucundissima experturum —praesertim urbem vestram miram, de qua iam tanta audivi iucunda, stupenda ac mira."

"Deinde," prosequitur Godfrey, "speramus, te adiuvante, fieri posse ut decuria lictorum nostra mysterium nuper hic caesorum trium retegere, reumque apprehendere valeat. Sibi enim relicti nihil proficere posse videntur."

Herus Pigot velut in deprecationem manus protendit.

"Ego quoque spero labores nostros effectu non carituros," ipse respondit; "verum si lictores vestri efficere nihil poterant, vereor ut exili meá operá possint. Ego profecto magna decuriae vestrae admiratione teneor; labores eius miris eventibus iure gloriantur, praesertim si rerum statum sibi obversantem ex aequo ponderemus."

Sermo autem eius voce tam ex corde genuina prolatus mihi videbatur, ut vix verbum eius dubitare auderem; Godfrey tamen subridebat tantum.

"Lictorum decuriam Francicam in orbe efficacissimam esse," inquit ille, "iam in proverbium abiit. Certe tu habes quod de horum morte sentias?"

"Vereor admodum," respondit herus Pigot veluti dolenter, "ut hic quaestioni isti modo respondere possim, aut ut eam tecum pertractem. Primum oportebit me praefecto vestrorum agentum quaedam referre. Cras cuncta quae potero cum voluptate tibi enarrabo. Verum pro ista vespera labia mea constricta manere decet, quamcunque doleam me minus civilem praebere oportere."

Satis clare licebat mihi audire a tergo quemadmodum relatores leni retrorsum spiramine tracto improbarent negatum directae quaestioni responsum. At nullum profecto dubium esse poterat, quin herus Pigot officio suo rite stetisset; tamen Godfrey assultum a latere tentavit.

"Futurumne est ut hac vespera in terram descendas?" quaerit.

"Equidem aliquem, qui vicem decuriae agentum gerat, me hic conventurum paravi," explicat herus Pigot. "Cum eo in urbem ire exspectavi; tempus enim urget. Praeterea, quo citius opus nostrum aggrediemur, eo existimo verosimilius cum fructu nos elaboraturos. A, fortasse is ille est!" subiungit quum vocem sciscitantem elatam de "Musir Piggott" audivisset.

Vocem ego agnovi, ut et Godfrey, probeque animadverti umbram tristitiae in eius vultu.

Momento post Grady, cuius calcibus Simmonds insistebat, viam sibi cubitis per turbam parabat.

"Here Piggott!" clamitabat Grady, manumque gracilem Franci vastis suis ungulis compressit ea quidem vi, quae sine dubitatione dolorem incussit. "Delectat me videre te posse, mi Here. Salvus esto in urbe nostra, ut nos hic in America dicere solemus. Enixe spero te Anglice scire, nam ego linguaculam tuam prorsus non calleo. Ego Delectus Grady sum, praefectus decuriae agentum; hic autem Simmonds est, unus meorum hominum."

Suavis heri Pigot morum tranquillitas ne minimum quidem erat turbata.

"Pergratum mihi est te, mi Here, convenisse; et te, mi Here Simòn," fatur ille. "Ita sane, scio Anglice—tamen, ut vides, non sine arduo conatu loquor."

"Isti relatores, ut mihi videtur, ad exitium te molestant," quibus dictis per turbam circumspexit, frontemque rugavit, quum Godfrey animadvertit. "Iam deceret vos iuvenculos hinc facessere. Hac enim vespera nihil e nobis elicietis, nonne, Here Piggott?"

"Ex mea parte paullo ante palam feci me oportere ut primum acta ad referrem," assentitur Pigot.

"Tum secedamus aliquo, bibamusque aliquid," suggerit Grady.

"Ego vero," mite respondet Pigot, "sperabam sine mora nos in terram descensuros. Acta enim pro te habeo parata . . ."

"Placet," excipit Grady, "postea autem quam acta perspexero Latamviam tibi ostentabo, tecumque paciscar nullá tali re hilareos Parisios gloriari posse. Celox nostra nos

praestolatur, ac statim licebit nos discedere. Tuane ista bulga est? Itane? Apprehende eam, Simmonds, ferque tecum," et sic Grady praeivit gradus descensurus.

At mediastinus attentissimus Simmonds antevertit.

Herus Pigot leni risu ad nos conversus,

"Ad crastinum ergo usque diem, amici," inquit. "Hospes ero Diversorii Astor, libenterque ibi vos excipiam, horá undecimá? Hac vespera vobis me nihil edisserere posse revera perquam doleo."

His dictis aerario manum porrexit, nosque sublata manu salutans, se socium Grady adiunxit, qui satis impatiens has amoenitates observabat. Denique per gradus oculis nostris iunctim se subduxerunt.

"En, amici, exemplum, quam sint mores contrarii!" affatur nos Godfrey circa se dispiciens. "Non vos pudet Americae?"

Adstantes riserunt, probe enim tenebant haec ad Grady referre, tamen etiam palam constabat inter illos assensum negari nequire.

"Veni, Lester," de discessu cogitans me affatur, "iam et redire convenit. Ad caeteros revehendos celocem iterum mittam," quibus dictis gradus descendere coepit.

[1] *Celox, -cis*, genus est navis celerioris, plerumque privatorum, ad navigandum animi causa.

[2] *Prelum, -i*, sensu proprio ac primo est torcular ad premendum, quo exprimimus succum plantarum, uti uvae, olivae, cannarum; latiori sensu prelum typographorum, denique producta typographiae, praesertim diurna. Idiomata moderna pleraque, quum proprio vocabulo careant,

Participium Praeteriti verbi Latini *premo* (*pressus, -a, -um*) usurpant.

[3] *Moratoria, -ae:* subaudi *statio*, ubi medici officiosi vectores in valetudinem eorum inquirentes navim *demorantur*.

[4] Non tantum bellicae, sed etiam mercatoriae naves cuiusque consortii *classis* appellantur.

[5] *Helciaria, -ae*, navis est quae aliam, veluti *helcio*, vectat.

[6] *Ora, -ae*, est funis, quo navis deligatur, destinatur vel tractatur.

[7] *Agea, -ae*, est ambitus, sive faux, vel via inter casterias, cubicula.

[8] Pars navis in medio, ubi mediae scalae, sive gradus, sursum ducunt.

[9] *Mediastinus, -i*, est homo in locis publicis ad servitia omnis generis praestanda conductus.

[10] *Involucrum, -i*, est cui litterae includuntur, quod a fronte titulum, vel insignaculum (nomen, locumque cui et quo reddantur), a tergo autem—nonnunquam—sigillum fert.

[11] *Vidulus, -i:* genus bulgae, vel sacciperii, quod viatores manu secum gerunt, in quo res exiguae ad commiditatem necessariae continentur.

CAPUT XXIV

Secretum Arcae.

Godfrey mihi in crepidine valedixit, et ad suam officinam properavit, ut eventus diei in tractatu comprehenderet, quocirca mihi iam in antecessum constabat eum mores Americanos, praesertim quos Grady exhibuerat, perstricturum. Caeterum, quod ad me attinet, iste vel modicus aeris salsi haustus cibi appetentiam haud parum exacuisse mihi parebat, unde pilento meritorio me ad Murray convehendum censui, quod caeteram vesperae partem coenae lautiori accumbens explendam statui. Caeterum, nisi sim in certo statu animi, ganea Murray non me admodum allectat. Templum in angulo pseudo-Graecum, cum aqua per gradus decurrente, fictae dein nubes quae per laquear fluitare simulantur, mensae vitreae ab imo illustratae—cuncta haec, quotidiano quidem more vulgaria videntur ac trita; subinde tamen, quum animus in curiosa ac peregrina inhiat, ganea Murray placet, quum lauta muliercularum indumenta, nitentes humeri, venustique vultus in hac congerie ineptiarum, satis valent quae animo quid pictorii ac poetici suggerant ac supportent. Insuper, utique, et culinaria ars accedit ponderanda, quae quidem nihil quod desideretur relinquit.

Animo hac vespera tali eram ut locum hunc aequi bonique facerem; nec mirum si ordinem coenae tam otiose prosecutus sim, tantumque temporis circa nigram caffam

volvellasque triverim, ut iam decima esset hora quum in viam Quadragesimam Secundam egressus essem. Vel momento diremi satius esse pedibus domum ambulare, ideoque ad Latamviam regressus sum, quae iam turbis e theatris excedentium scatere coepit.

Saepissime ut eam videram, tamen Latavia noctu candentibus eius signis, turbis variantibus, clangenti vehiculorum caterva, ac denique tabernarum illustribus ostentariis,[1] miro modo me devincit. Recte quidem Grady docuit "festivos Parisios" nihil cale quo gloriari posset, habere; at ne alia quidem urbs, quantum ego sciam. Ista prorsus unica est, vereque Americana; proin obambulavi eam omni quo par eram otio, ut omnia eius oblectamenta perciperem; tamen subinde stiti ad cernenda ostentamina, [2] atque ad Diversorium Hoffman—eheu, iam nudatum suo Bouguereau—ad meum penu volvellarum explendum.

Assecutus denique Compitum Madison sub arbores me diverti, quod moris mei est, unde clarior est in Aedes Erugatorias[3] prospectus, adversum coelum albicantes. Illinc in Turrim Metropolitanae Cautelae[4] suspexi multo altiorem, aspectu tamen minus poeticam, cuius ingens horologium collustratum me commonuit iam fere decimam cum dimidia esse.

Tandem Lataviá iterum traiectá, iter meum deorsum in Viam Vigesimam Tertiam, versus Marathonem iturus, flexi, quum cornu assecutus obviam factus sum iis tribus qui paullo ante me eodem gressus suos direxerunt. Protinus agnovi Grady atque Simmonds, in medio quorum herus Pigot itabat. Manifestum erat Grady promissis stetisse, Grandemque Viam Candentem a summo ad imum, cum omnibus suis mirabilibus ostendere, muneris sui duxisse, et hoc maxime quidem liberali modo—qui ritus sine dubio postulavit ut auctore se hospes peregrinus cuncta temeta[5] Americanis

propria degustaret—unde factum est ut crura Grady sensim vacillarent. Ex mera comparatione gentili etiam herum Pigot oculis perstrinxi, sed reperi eum prorsus sine labe esse.

"Heus, Lester," affatur me Simmonds voce quae innuere videbatur effectum celebrationis vespertinae ne eum quidem prorsus effugisse; quin et Grady dignatus est nutu capitis me agnoscere, unde colligere mihi licebat eum praeter morem contentum ac beatum se sentire.

"Heus, Simmonds," reddidi ei salutem, quum ad me, iter pone eos occidentem versus prosequentem, regressus, mecum pari passu itare coepit.

"Piggott verum prodigium est," inquit ille. "Verus ludio[6]—cuncta videre, cuncta degustare volebat. Parisios cum hac urbe in eodem loco habendam non esse censuit."

"Quonam nunc itis?" quaero ego.

"Modo ad stationem decuriae itamus. Piggott ait se aliquid apud se celare, quod nos omnes stupore percellat—aliquid aget circa arcam illam."

"Circa illam arcam?"

"Ita, sane—illam scilicet rem fulgidam, quam Godfrey suadente in cellam occluseram."

"Simmonds," quaero ab eo serio, "scitne Godfrey quidquam de ea re?"

"Nescit," respondet Simmonds non sine sollicitudine. "Monui Grady consultum fore ut ille per telephonum invitaretur, sed praefectus excanduit, meque ut propria negotia curarem, reprehendit. Godfrey enim, ut meministi, iam pridem eum insectatur."

"Quid si ego eum provocem?" suggero ego. "quidquamne obesset?"

"Nihil per *me*," respondet Simmonds, "nec scio per quem alium, quandoquidem res nemini nota est."

"Placet. Fac interim ut res ista lente trahatur, sicque Godfrey tempus ad huc perveniendum suppetat."

Simmonds annuit.

"Faciam quidquid possim," respondit, "non tamen perspicio quemadmodum id profuturum sit. Praefectus non admittet eum etiam si adveniat."

"Satius erit eam rem penes Godfrey relinquere. Aequum enim est ut ipse edoceatur, quandoquidem ille auctor est quare arca ibi sit ubi est."

"Id non me praeterit, et ipse Piggott rem praeclaram putat arcam illic reconditam esse, etiamsi ipse ego peream si sciam cur. Fac urgeas Godfrey ad quam celerrime adveniendum. Vale bene," quibus dictis suos comites, in stationem secutus est.

Prope in angulo reperi apothecam, stationem telephonicam, ac bina minuta post cum urbana *Record* officina colloquebar.

"Nequaquam," respondit vox alicuius superciliosi, "herus Godfrey non est hic; paullo ante discessit." Nec collocutor sciebat quo ille ivisset, aut quando reversurus esset.

"Quin audi," aio illi, "res ista gravis est. Oportet ut cum eo agam—nec me demoreris quominus cum concinnatore urbano loquar."

Silentium mirantis momentaneum secutum est.

"Quod nomen?" quaerit vox.

"Lester, e consortio Royce et Lester—ac tu satius dixeris concinnatori urbano, Godfrey meum esse necessarium." Concinnator capere videbatur, nam nexus me inter et illum sine mora effectus est. Verum et cum eo vix plus profeci.

"Nos etenim, indicio nobis denuntiatio, quum id scitum et gravioris momenti esse intellexissemus, eum protinus Cestriam Occiduam dimisimus. Viam ingressus est simul atque historiam de Pigot conscripserat, et eum reducem quoque momento exspectamus. Numquid habes quod ei nuntiari velis?"

"Habeo; dic illi, sodes, Pigot in statione Viae Vigesimae Tertiae esse, consultumque videri ut eo, celerrime quam possit, decurrat."

"Bene est. Primum quam intrabit nuntium illi tradam."

"Gratiam tibi habeo," respondi; sed nunc falli acerbissimum mihi fatum esse sensi.

Digressus illinc in ora tramitis[7] anceps steti, oculis in rubra lampade Stationis lictoriae defixis. Quidnam nunc ibi fiet? Quonam molimento studet Pigot eos in stuporem agere? Quidquamne ego ut interesse possim praetexere queo?

Deinde, etiam memor Grady capite me salutantis, titubantiumque eius crurum—aeque recolendo eum nihil peius statuere posse nisi me prohibere!—transgressus viam versus rubram lampadem, ianuam impuli et intravi.

Nemo mihi obviam fuit nisi decurio ad scriptoriam sedens.

"Nomine vocor Lester," alloquor eum. "Arcam hic habetis quae ad bona residua Philippi Vantine spectat."

"Arcam quidem hic certe habemus, sed cuius sit ignoro."

"Ad bona heri Vantine ea pertinet."

"Et quid tum?" quaerit me aspectans, utrum ebrius non sim. "Non existimo te huc media nocte ad hoc me docendum venisse?"

"Non ideo veni; verum arcam paucis momentis videre vellem."

"Hac nocte eam videre non poteris. Veni huc cras. Praeterea nec te novi."

"En nomenclatoriam meam. Sive herus Simmonds, sive herus Grady me agnoscent. Sed cras iam sero erit."

Decurio acceptá pagellá, eam aspexit, tum me contuitus,

"Exspecta modicum," inquit denique, ac per posticam ianuam discessit. Tria aut quatuor minuta abfuit, et dum ibi stabam horologium stationis duodecim sonuit. Sonoros ictus ac distinctos mecum numeravi, et insecuto silentio exspectationeque manus meae tremere coeperunt. Quid si Grady mihi ingressum neget? Tamen decurio denique rediit.

"Accede sis," fatur, pansa cancellorum portá, et viam indicavit.
"Rectá per eam ianuam," subdit, iterumque ad scriptoriam resedit.

Summo simulationis conatu, quasi nihil ad me attineret, ianuá apertá, transivi. Dein invitus constiti. Nam illic, in medio solo, stabat arca Boulé, hero Pigot ad unum latus adstante, e regione autem Grady et Simmonds sedentibus, et in sellis paene incurie prostratis, nigrosque convolvulos fumantibus.

Omnium oculi in me intrantem conversi sunt, et Pigot quidem caperata fronte, in indicium suae urbanitatis ad ruptionem intentae; Simmonds affectata miratione, Grady, denique, blando lenique risu, alioquin vacuus. Hoc risu animadverso animus mihi erigi coepit.

"Ergo, Here Lester," me affatur, "arcam hanc videre cupis?"

"Cupio, equidem," respondi, "quandoquidem, ut nosti, ea revera ad bona spectat Vantine; mihi in animo est eam vindicare—scilicet, si quo casu sine lite restituere nolis."

"Et hoc tibi modo, media nocte, casu in mentem venit?" per ironiam quaerit.

"Minime," audacter illi regero, "sed vidi te et herum Simmonds, cum isto ingenuo viro"—proclinans versus herum Pigot—"paucis momentis ante huc intrare, unde mihi in animum venit cogitatio fieri posse ut id gratia arcae factum esset. Utique nos nolumus ut arca ullum detrimentum ferat. Est enim magni pretii."

"Id ne te angat," refert Grady minus curius, "non ei officiemus. Simul etiam puto eam nos tibi post hanc noctem quandocunque dedere paratos futuros. Herus Piggott primum paucas technas circa eam nos docere cupit. Equidem puto ius quoddam tibi competere ut hic intersis—itaque si praestigiis delectaris, cape sis sedem."

Propere igitur quaesivi sellam et consedi, corde meo quasi desidente. Dein vultum simulavi fingere incurium, quod manifestum erat me interesse hero Pigot displicere, verebarque ne eius suaves Francici mores ad rupturam usque tenderentur. At Grady, si etiam noverit hospiti suo meam praesentiam displicere, id neglexit; unde suspicari coepi mores Franci politos atque civilitatem talem esse nactum exitum, ut herum Grady invitus adversis pilis

mulsisset ingratum enim visui erat quam mores huius agrestes moribus illius adversabantur. Quidquid tamen causae fuerit, risus eius, quo se ad Francum converterat, malitia haud carebat.

"Atque nunc demum, Here Pigott," in sella reclinatus aliquanto, fatur, "iam pro ostentu parati sumus."

"Id quod dicere habeo, mi Here," coepit fari, voce chalybeiae duritiae, glacialique frigore, "probe intellectum volo a me cum fiducia dici. Id nulli prodendum donec malefactor captus fuerit."

Risus Grady ad hoc aliquantum riguit. Fortasse verbum, in quantum id modum imperativum sonabat, illi minus placuit. Quidquid fuerit, monitum flocci fecit.

"Intellexistine, Here Lester?" quaerit me intuitus; ego annui.

Animadverti oculos Pigot excandescere, vultumque ira suffundi, vox enim Grady fere insultum sonabat. Pro momento existimabam futurum ut ipse opus suum prosequi recuset; sese tamen continuit.

Ut illic mihi e regione stabat lumine perfusus, licebat mihi modo accuratius oculis perlustrare quam id in navi efficere potueram, proin diligentius eum aspexi. Verum ipse typum Franci exhibebat—vultu strictim raso, sulcatoque in alba cuti subtilissimis lineamentis, oculi autem densissimo et uberrimo erant supercilio obumbrati, capilli autem fere cuti tenus tonsi, candori vultús albedine prope pares erant. Attentionem tamen meam praesertim species oris sibi vindicavit—utpote subtile simul et lepidum, tametsi paullo largius, labiisque plenioribus, fortitudinis indiciis, pro venustate tamen non nimiis. Sexaginta annorum aetatis eum esse coniectavi, et speciem praebebat hominis, qui

centena expertus sit discrimina, quin animi aequitatem exuisset. Id certe facturus nunc non erat.

"Historia a me mox recitanda," exorditur cauta Anglicitate, verbis subinde carptis ac putatis, "arcte nexa est cum furto celeberrimorum Michaelovitch adamantum. Eventum forte memoria tenetis."

Ego profecto bene memini, nam furtum illud tanto acumine erat conceptum et effectum tanta dexteritate, audacia ac pernicitate in singularibus, ut animi attentionem mei prorsus devinciret—ut de ea rerum circumstantia, quod congeries formosissima adamantum Magni Ducis Michaelis Russiarum fuisset, plane taceam—qui, quod domi haud magni fieret, et etiam quod caput Franciae hominibus suae indolis apprime conveniret, Parisiis degebat vitam—quae congeries haud minoris quam octonum millionum aestimabatur francorum.

"Furtum illud," prosequebatur herus Pigot, "tantá audaciá, simul et tam singulari modo erat perpetratum, ut nos nihil dubitassemus opus illud veluti unius tantum hominis agnoscere, nec ab alio fieri potuisse, furciferi cuiusdam, nomine Crochard qui se et 'Invincibilem' praedicat—furciferi nempe, qui nobis iam innumeras intulerat molestias, quem tamen convincere nunquam quivimus. Hoc in casu evidentiam contra eum prorsus nullam habuimus; inquisitionem in eum instituimus, reperimusque eum probe cavisse ut tempore furti se omnino alibi fuisse sine dubitatione demonstraret; itaque eum absolvere ac liberare nobis necesse fuit. Non nos praeteribat capere eum, quin aliquas gemmarum in sua reperiremus possessione, prorsus esse inutile. Ipse interim poenae immunis, ut solitus erat, per vicos et plateas, per ganeas, ubique, liber oberrabat. Nos derisit tantum. Res nobis admodum erat ingrata; at leges nostrae severae sunt. Grave enim perquam esset delictum siquem caperemus, deinde agnoscere nos errasse adactos

nos esse videremus. Fecimus igitur quantum potueramus. Istum Crochard nos perpetuo vigilibus oculis prosequebamur; perscrutati sumus non modo suum, sed etiam suae amicae domicilium, nec semel, sed saepius. Aliquando, quum Vincentiae telonium[8] egressus esset, agentes nostri ei, sub specie latrocinii, irruerunt, personam vestesque eius perquisiverunt.

"Ipse, bene memineritis, ne momento quidem temporis deceptus fuit. Novit enim accuratissime quid nos agitaremus. Etiam perspectum habebat se nulla in Europae parte vel unum eorum adamantum venumdare posse. Hinc suspicabamur futurum ut huc, in Americam, eos translaturus esset, et ideo vestrum officium portorium de eo edocuimus. Scivimus etenim posse eum hic omnes adamantes, dempto maximo, etiam cariori quam in Europa pretio, ac paene sine ullo vendere periculo. Uti nobis persuaseramus, eum ab omni emporio interclusimus—quum protinus oculis nostris se subduxit.

"Binis dein septimanis nihil de eo exaudiebatur—tum fama de isto Drouet ad nos perlata est, puncturá in manu interempti. Extemplo cognovimus id opus Crochard fuisse, nam ipse solus inter vivos cognovit secretum veneni familiae de Medicis. Est autem illud secretum terribile, cuius usum in tota sua vita semel tantum cepit—et hoc adversum hominem qui eum prodiderat."

Herus Pigot hic paulisper constitit, manumque per frontem praeterduxit.

"Quid inter Crochard, Drouetque intercesserit, perspicere non poteramus," prosequitur herus Pigot. "Drouet quidem popinarum erat assecla, non tamen malefactor. Tum fama mortis Morel, hominis nullius frugis, percrebuit, in tentamine hac arca potiundi occisi, quum rem perspicere coepimus.

Post haec de ista arca sciscitari coepimus; audivimus eius historiam, deque eius structura secreta, unde licuit nobis aliquid certi concludere. Ad hoc ergo explorandum, utrum conclusio nostra valeret, firmoque niteretur fundamento, in causa erat quare ego in Americam venissem."

"Quaenam ergo conclusio est?" quaerit Grady, qui haec omnia perquam impatiens auribus excipiebat, quod adeo adversabatur probatis moribus atque attentioni, qua ego narrationem prosequebar.

Nam ego conclusionem iam praesagivi, et venae meae animi concitatione pulsabant.

"Secundum nostram itaque theoriam," respondit herus Pigot, quin orationem vel minimum acceleraret, "arca haec adamantes Michaelovitch celat. Omnia hoc suadent et mox comperiemus."

Usque disserens e sacculo manutium produxit chalybeium, ad stupendum par illi quod Godfrey paraverat, idque rectae manui induxit.

"Siquis arcana illius 'Invincibilis' rimari velit," subridens fatur, "iuvat eum loricatum incedere; iam tres mulctati sunt ob suam temeritatem."

"Tres homines!" iterat verba Grady mirans.

"Tres," numerabat extremis digitis Pigot. "Primum ille qui nomen d'Aurelle simulavit, qui tamen revera extortor nomine Drouet fuit; alter herus Vantine, peritus ille; ac tandem tertius, iste parasitus Morel. Horum unus tantum in aliquo numero erat, herus Vantine; eius mors admodum est dolenda, et ego certo scio Crochard eam gravissime tulisse. Meam quoque mortem posset ille aegre ferre, sed ego nullo

pacto quartus fieri volo. Non ego." Quibus dictis manutium dextrae suae singulari cura aptavit.

"Indulge, mi Here" eloquor ego, quippe qui iam diutius silere non poteram. "Haec omnia tam mira sunt—tam terribilia—num plus dicere detrectabis? Quidnam, obsecro, hi tres quaesiverunt? Gemmasne?"

"Singularia, mi Here, tibi aeque nota sunt ac mihi," respondit non sine sarcasmo. "Notum tibi est Drouet occisum fuisse dum fasciculum quaerebat litterarum, quae matronam quamdam ex optimatibus summá affecturae erant infamiá; aeque clarum tibi est herum Vantine occisum fuisse quum forulum aperire tentasset, postquam ancilla eiusdem matronae illustris, quid occultus forulus celaret prodidisset, utpote quae praemium sibi mereri speravisset; Morel autem manu ipsius Crochard morte plexus et quoniam proditor fuit, atque supplicium meruit."

Admiratione magis magisque captus, oculis fixis eum intuebar. Quodnam secretum prae isto homine miro tutum esse possit? quaero a me ipso. Aut fortasse hanc suam historiam e fragmentis sibi notis consarcinavit?

"At ne nunc quidem," balbutio ego, "res mihi in claro est. Nempe nos occultum forulum aperuimus—nullum ibi erat venenum. Quí tum poterat Drouet herumque Vantine perimere?"

"Facile," frigide respondit herus Pigot. "Drouet atque herus Vantine mortem oppetiverunt, quia ancilla matronae Príncipis ex errore laevam cum recta manu commiscuit. Forulus qui litteras celabat ad laevum arcae est—en," quo dicto terna choragia pressit, ansulam prehendit, forulumque evulsit. "Ut animadverti licet, litterae ablatae sunt, quoniam ipsa matrona Princeps forulum aperuit, litterasque coram

hero Lester subduxit quum ea esset illius humanitas ut possessionem litterarum illi indulsisset. Verum forulus, quem Drouet et herus Vantine aperuerant," et nunc vox eius prae summo animi motu, quum ad istud culmen pervenerat, aliquantum stridere coepit, "a recto latere arcae est, omnino ex adverso alteri, aperitur autem prorsus eodem modo ac techná. Verumtamen aliquid magni interest. Circa priorem forulum nihil est quod cuipiam noceat; alter autem veneno custoditur, maxime omnium quae unquam terricolae viderant, mortifero. Attendite. Animo attendite, obsecro!"

Animo adeo concitato eram ut paene febricitarem, et de sella surgens propius ad eum accessi. Usque verba serens in arcam inclinavit, tribusque digitis ab ora dextra dispositis, choragia impressit. Stridor acutus percrepuit, pars musivi ansulam proferens recidit, eo prorsus modo quo in adversa arcae parte compereram.

Herus Pigot paulisper anceps haerebat—in conspectu tanti, tamque mortiferi discriminis nemo non anceps haesisset!—dein ansá foruli manu armata prehensá, forulum celeriter evellit.

Crepitus stridens chalybis super chalybem exaudiebatur, atque forulus patuit.

[1] *Ostentaria, -ae:* subaudi *fenestra;* licet tamen et nomine substantivo *ostentarium, -ii* uti per se. Vocabulum istud Romanis *mira, monstra, prodigia*, et scripta de his, atque de vaticiniis significabat, non tamen per se, sed per exaggerationem. *Ostento* enim est *ostendo* frequenter, atque aspectum, visum, intuitum praetereuntium capto, ita ut nostro usui aptius sit quam Romanorum usui longe petito.

[2] *Ostentamen, -inis:* n., id quod ostentatur.

[3] _Erugo,*1 -vi, -tum:* rugas tollo, vestes fervido ferro, postquam eae lotae amyloque tinctae fuerint, laevigo, explano. Ferrum Erugatorium, idem quod pag. 90ma Levigatorium Ferrum appellavi.

[4] Quod nos Romano more *cautelam*, h. e., alicui aliqua re *cavere* dicimus, idiomatibus modernis *securare, insecurare, adsecurare* ineptissime exprimere tentant. Romano itaque more dicemus: *caveo pecuniá de*, vel *pro* incendio, vita, vel rectius *de morte, pro morte, de*, vel *pro* incendio, caveo *mihi* de morte, *pro* morte, minime vero *adsecuro* vitam, *insecuro* incendium.

[5] *Temetum, -i:* omnis potus ebrians.

[6] *Ludio, -nis:* proprie mimus, actor scoenicus, sensu Romano; sed quum et alii ludi, praesertim hac nostra tempestate, in usu sint, et quum plerique homines nihil aliud in vita agant quam ludant, et vix quidquam serio agatur, *ludiones* qui pilis, follibus, equis, theatris, vorando ac potando pretiosam et unicam vitam percurrant, merito appellabuntur.

[7] *Trames, -itis*, m., est ambulacrum, sive ea pars viae in urbibus in qua homines eunt, ambulant, quae contigua est domibus; inter duos *tramites* est *iter* proprium equorum et curruum.

[8] *Telonium, -ii*, est claustrum in ingressu urbium, pagorum, portuum, ubi ab intrantibus vectigalia exiguntur.

CAPUT XXV

Adamantes Michaelovitch.

Herus Pigot collectus, minimeque turbatus in nos renidens manum sublatam, ne minime quidem tremulam nobis ostentabat—manum manutiatam; in aversa parte cuius loricae parvulas puncturas animadverti. In quoque scrobiculo guttae videbantur laticis[1] rubri—sanguineo rubri, ut ipse admiratione captus oculisque defixis mihi interpretabar. Et quanta huius hominis fortitudo et constantia est! In venis meis prae admiratione huius hominis sanguis calescere coepit.

"Latex iste, amici," molli sua voce fatur, "venenum dirissimum est, quod ab hominibus unquam sit concoctum. Guttulae hae duae vicenos homines perimeret, et ictu quidem oculi. Odor eius originis index est"—ac revera tota aura amygdala amara redolebat—"at venenum commune inde obtentum est veluti nihil, huic comparatum. Istud venenum a Rémy quodam fertur inventum, eo nempe singulari homine qui auctor mortis Ducis Andegavensis dicitur fuisse. Concoctio istius veneni, ut proditum est, una habetur artium quae neglectu interciderunt, sed secretum eiusdem concoquendi ab isto Crochard iterum inventum est. Nullum profecto secretum ab eo celari potest; historia scelerum, commentarii malefactorum—mysteria, memorabilia facinorum foederis scelerum, e saeculis vigentis, et cuius existentiam pauci etiam suspicati sunt—

huic prorsus propatula haec cuncta sunt. Hunc ita formidabilem hae cognitiones reddunt. Nemo ante eum consistet. Quin et secretum huius foruli notum ei erat, et quum opportunum ei videbatur, usus etiam eo fuit."

Herus Pigot conquievit capite pendulo meditabundus, ego autem in animo cum eo per longam criminum seriem in dissita tempora recurrentem mihi respectare videbar—tristes ordines, tamquam strigae Père-Lachaise, ubi tumuli tumulos stipant; ubi singulis fere passibus secretis, mysteriis, aut tragoediis occurrimus. Hic tamen mysteria cuncta erant resoluta, secreta patefacta, tragoediae perspectae. Istae scelerum ambages electis tantum auctoribus scelerum revera magnis patebant, caeteris omnibus clausae erant. Fortasse ex omnibus vivis nulli nisi Crochard datum est eas nemine lacessente perambulare.

Visiones istiusmodi, inquam, ante oculos mihi versabantur, sentiebamque quodammodo herum Pigot mecum idem sensisse; sed post pauca momenta ad institutum suum, arcam, animo rediit.

"Nunc, Here Simòn," mutata denique voce hunc affatur, "si pro tua humanitate hunc forulum hoc in situ tenere velis, ego dentes colubri interea evellam. Nullum prorsus vereare periculum," subiunxit quum animadverteret Simmonds nisu quodam naturali dubitare.

Sic certior factus Simmonds ansulam foruli prehendit, ne per se clauderetur continuit, interea autem Francus e sacculo suo phialam crystallinam produxit.

"Paullo plusculum," ait ille; ac Simmonds non sine maiori nisu forulum ad plenitudinem evulsit, quum e fundo arcae minuta taleola chalybeia bidentata sese sursum pressit. "Ecce dentes," ait herus Pigot. Orificium phialae primum uni,

tum alteri supposuit manibus pone ac supra magná cautelá illatis. "Venenum in loco adhaesione capillari continetur; sed inde, immisso aere a tergo, id exigam—ecce, cernite!"

Se inde erecto lagenulam luci advertit. Ad medietatem erat ea plena lymphae[2] rubrae.

"Satis ad decimandam Franciam," ait, subereque[3] arcte intorto, phialam in sacculum recondidit. "Dimitte nunc forulum, mi Here, si placet," monuit Simmonds.

Ansula relaxata confestim in locum recurrit, et clangens se replicavit.

"Animadvertite argutum opus," ait herus Pigot. "Revera perquam scitum est. Namque siquando manus venenosis dentibus percussa in tenendo forulo relaxatur, forulus in locum suum recidit, suaque se sponte claudit, ut cernitis, omniaque in pristinum statum recedunt, nisi quod aliquis alius hominum letho detur. Nunc ego eum aperiam. Dentes iterum ferient; sed ictus manutio incidet, alioquin manum scaripharent, sed mors non sequetur. Si nodulum hunc vertam, choragium fraeno, et forulus apertus manebit. Auctor huius mechanismatis tantum sibi ob istam rem tribuit ut id in secreto commentario ad oblectandum Ludovicum Magnum litteris mandavisset. Transcriptum eius commentarii in Bibliotheca Nationali custoditur; primigenium eiusdem Crochard obtinet. Ipse est qui illum commentarium inter et hanc arcam nexum instituit, mechanisma e novo reperit, choragium renovavit, atque venenum denuo invenit. Nullum est dubium quin ictus venenatis iis, dentibus, quo proditores punire consueverat, originem inde ab eo commentario ducat."

"Croshar iste—vel quidquid nomen eius sit—lurco[4] videtur esse admodum singularis," notat Grady, convolvulo suo

iterum accenso.

"Est profecto," assentitur herus Pigot quiete, "admodum singularis. Sed ne ipse quidem est falli nescius; equidem quum commentarius alterum forulum occultum non memorasset—illum scilicet in quo Matrona Princeps suas litteras occultasset amicas—ea res Crochard fuit ignota. Atque ista inscitia eum in caeteris suis molimentis frustravit. Nunc vero, amici, delectamento mihi erit aliquot pulcherrimas vobis gemmas exhibere."

Nunquam usque ad hoc momentum suspicabar quid ille forulus celaret; hactenus enim captus eram tam historia istorum dentium venenatorum, quam caetera narratione, quam agens Francicus tanta quietudine tantoque effectu nobis tradiderat; verum nunc iam animadverti forulum convolutis gossypinis[5] esse conferctum.[6]

Herus Pigot primum horum sumpsit, evolvit, et in scriptoriam arcae partem collocavit, quo facto splendorem fulgentium adamantum percepimus—adamantum tam grandium, tam fulgidorum, tamque sine macula candentium, ut prae admiratione ex imo traherem suspirium. Ipse adeo herus Pigot, qui non facile moveri sibi virtuti habebat, haud facile tales gemmas oculis lustrare valebat quin animo commoveretur; in genas eius rubor sensim irrepsit, ut deorsum in gemmas oculos figebat, unum alterumque e maioribus sustulit ut eas propius aspectaret. Tum unum convolutum post alterum evolvit semel iterumque sistens ut grandiusculas propius intueretur.

"Hae gemmae sunt partes monilis clarissimi quod Magnus Dux ab avia sua in haereditatem acceperat," explicat herus Pigot, ostentans parvum cumulum gemmarum mirabilium in postrema congerie. "Crochard has e compagibus avulsit—id evitari haud poterat. Compages enim aureas liquefacere,

aurumque vendere facile potuit; sed gemmarum nullas in tota Europa, per complures annos ei venumdare licuit. Unaquaeque etenim earum notas ferebat. Verum hic, in America, haud vivitur tam arctis legibus et institutis lictoriis; tamen, ut opinor, etiam hicce terrarum, saltem istam unam haud facile venumdare potuisset," quibus verbis ultimum solvit manipulum, et ad lumen extulit rosaceum adamantem, qui magnitudine iuglandem aequare videbatur, pulcherrimoque colore scintillabat.

"Fortasse in Apollinis Aula, in Louvre, aliquando ad intuendum ac mirandum adamantem Mazarin constitistis," ait herus Pigot. "Circa illud specularium plerumque turba spectatorum moratur, ad quem custodiendum specialis constitutus est excubitor, quod id merces summi pretii celat. At earum mercium Mazarin nulla est, quoniam nec ea res adamas est, quin potius mera pasta—imitamentum est ex pasta, cuius archetypus hic ademas est. Caeteroquin res illa prorsus proba et honesta est," subdidit, quandoquidem Grady cum derisione exceperat audita. "Paucis ab hinc annis rectores Louvre pecuniario egebant fundo ad novas praestinandas tabulas pictas, et ad renovandas antiquas. Visum illis est dementiae simillimum esse trium millionum francorum valorem in unica gemma veluti captivum illic teneri, dum sui Michaeles Angeli, da Vincii, atque Murilli in diem mucescerent et conficerentur. Emptorem itaque pro Mazarin quaesiverunt, et repererunt emptricem, ipsam Russiarum Imperatricem, quae cupiditate lapidum pretiosorum flagrabat, quae moritura congeriem hanc perquam singularem filio suo praedilecto, qui et haeres eiusdem suae cupiditatis erat, testamento reliquit. In locum originarii, turbae ad demirandum imitamentum adamantis Mazarin suffectum in Louvre est, et mox quisque oblitus erat se non verum demirari adamantem. Ex mea vero parte rectores sapienter statuisse arbitror. Nunc vero," subiungit

gestu fulgidos indicans cumulos, "quid de istis omnibus rebus statuendum censetis?"

"Unum tantum ad agendum superest," autumat Grady, dum quasi ex extasi evigilabat, "nempe ut, citissime quam fieri possit, in tutum depositorium deferantur. Lictoria autem arca fortis[7] nulla est, cui eas gemmas concredere auderem! Pro, hae ipsius Archangeli Gabrielis fidem tentarent!" Et ex imo suspiravit.

"Num tam será noctis horá tutum depositorium apertum reperiemus?" quaerit herus Pigot horologiolo aspecto. "Iam fere hora prima est cum dimidia."

"Neo Eboraci hoc satis facile est," inquit Grady. "Gemmas in Argentariam Diurno-Nocturnam in Platea Quinta, utpote quae die noctuque patet, deferemus. Exspecta modo dum aliquid in quo eas recondamus, comparem."

His verbis discessit, sed paullo post cum vidulo rediit.

"Istud satis erit aptum," fatur. "Reconde sis eas huc; ego interim argentariam appellabo, forulumque fortem comparabo."

Simmonds atque Pigot manipulos magna cura convolvitarunt et in vidulo disposuerunt, dum ego fere obstupidus inspectabam. Animo mecum irritamenta tantarum pulchritudinum, quae fidem cuiuscunque tentare possent, silens reputabam. Nec adeo pretium valorque gemmarum me commoverunt—de ea enim re vix cogitavi; sed fulgida emicantia allectans, quae phantasiam in me suscitabat. Quid si meae essent? Quam possem eas digitis contrectare, et oculos in iis pascere ut sub lumine tremerent et rutilarent!

"Certe Magnus Dux Michael admodum perturbatus sit oportet," notat Simmonds, qui, dum omnia haec agerentur, ex serenitate animi nativoque lepóre nihil amiserat.

"Furioso fere erat similis," respondit herus Pigot leni risu super sicca Simmonds verba. "Hae gemmae voluptas ac delitiae animi eius fuerunt; has fere adoravit, se ab his nunquam divelli sivit, nec die nec nocte; quocunque se diverterat, has semper secum habere solebat. Quum vel maximá premeretur pecuniae penuriá—sic vero haud raro premi consuevit—nunquam vel unicam gemmarum venumdedit. Imo, contra, quandocunque numeratá abundat pecuniá, aut fide,[8] lapidesque idgenus insolitae pulchritudinis prostant, ipse, etiamsi debita insoluta maneant, quin hos praestinet, obsistere nequit. Ex quo hos lapides amiserat, furere nunquam destitit, nunquam maledicere pedisequosque verberare—unum horum adeo quidem ut inde moreretur. Super una vel altera re fere omnes insanimus, ut proditum audivit; in summa, Magnus Dux Michael super adamantes praeter modum insanit."

"Cur furem ad restituendum praemio non allectavit?" quaerit Simmonds.

"Tentavit," refert herus Pigot. "Statim cunctas suas fortunas in praemium obtulit. Sed fortunae suae ad allectandum Crochard haud erant satis amplae, nam Magnus Dux revera alia re quam reditu bonorum familiae nullá pollet, nec te fallet eum prorsus totum absumere. Maximo illi certe erit delectamento has gemmas a nobis repertas esse."

Cogitatio tum mihi incidit herum Pigot, sine dubio, bellulum inde praemium laturum.

"Ecce gemmas convasatas," ait Simmonds, ut vidulum celeri impulsu clausit, quum simul et Grady intravit.

"Rem itaque de forulo diremimus," refert Grady, "atque clavulare[9] decuriae nostrae iam etiam adstat. Digae meritoriae non fidendum putavi—subverti, aut in aliquam rem incurrere posset, nec decet nos pericula consulto accire—saltem non hac vecturá. Tu, Simmonds, comitem te praebebis Musir Piggott, specialemque lictorem iuxta aurigam collocabis. Fieri enim poterit ut Crochard impetum in te tentet."

Eadem cogitatio et mihi occurrit, quoniam Crochard aventús heri Pigot certe ignarus non fuit; nec mihi persuadere poteram futurum eum inertem testem, dum gemmae ei clam subducerentur—ut sua gloriosa promissa Godfrey facta plane taceam. Itaque quodammodo allevatum me sensi quum Grady ad nihil periclitandum satis sapere comperi.

"Tu autem si sapis apocham[10] posces," prosequitur Grady, "et ita ages ut vidulum heri Piggott coram tecum dedas. Satisne, Here, sic cautum esse putas?" quaerit ad Francum versus.

"Prorsus satis, mi Here."

"Factum bene; tum cras mane te conveniam. Caeterum gemmas reperisse tibi gratulor. Certe opus insigne praestitisti."

"Gratiam tibi habeo, mi Here," graviter respondit herus Pigot.
"Propédiem![11] mi Here," nutuque capitis mihi valedixit, dein
Simmonds in cubiculum anterius est secutus.

Grady, altero prolato convolvulo, consedit.

"Ehem, mi Here Lester," quaerit ex me dum ignitabulo infricto convolvulum succendebat, "quid tandem tibi de istis

Francis videtur?"

"Franci universum sunt homines miri," respondi. "Ne vel nunc quidem capio, quí hic tantum sciat."

"Fortasse complura horum hariolatur tantum," suadet Grady.

"Ita et ego coniectavi; at non credo quemquam tam accurate hariolari posse. Sic verbi causa, quomodo illi quidquam de illis litteris constare poterat?"

"Ne ego quidem, profecto," interpellat Grady, "unquam de iis audivi.
Quaenam ista est historia?"

Paucis verbis historiam eum docui, cunctis tamen summa cura evitatis e quibus quae ea velata matrona fuisset, palam fieret.

"Fuerunt in ea re quaedam singularia," subiunxi, "quae praeter duos alios nulli alteri, ut putabam, nota fuerunt—et hero Pigot tamen sunt cognita. Insuper quonam modo mechanismatis indoles sibi tanta certitudine constabat? Porro, quí scivit quod volumen adamantem Mazarin occultaret? Ut recordaberis, antequam id evolvisset explicuit nobis quid id celaret."

Grady bono animo, sed quodammodo deorsum, in me renidebat.

"Nonne id ultimum erat convolutum?" quaerit.
"Quandoquidem maximus ille adamas in caeteris convolutis non inveniebatur, in ultimo delitescere necesse fuit. Atque hic unus fuit eorum ludorum quos isti Franculi tam libenter ostentare soleant."

"Vera fortasse memoras," retuli in assensum. "Attamen mechanisma illud sic tractare videbatur acsi sibi summa cum eo fuisset familiaritas. Fieri utique potest ut se ad id tractandum praeparaverit studiis prosequendo delineationes, quae, procul dubio, subnexae erant secreto commentario. Quin etiam exemplar sibi parari curare poterat, et operationem inde didicisse."

Grady quadam cum toleratione annuit.

"Homines eiusmodi mirum quantum curae sibi sumere solent in minutiis idgenus," interpretatur Grady. "Solemne apud eos est pagellas magna ostentatione in mensam lusoriam deiicere, etiamsi pagellae ne hilum quidem valeant."

"Hac tamen vice pagellas victrices tenuit," monui ego. "Lusit autem manu insigni. Certe ipse homo est praeclarus."

"Et histrio eximius," Grady supplevit. "Hi enim semper ita agunt quasi sint in scoena, ante lumina. Non raro me eorum taedet. Heus! Quis is est?"

Ostium raptim aperitur; subitum ac breve colloquium cum decurione ad scriptoriam exauditur, tum celeri gressu anterius cubiculum percurritur, atque Godfrey ad nos irruit.

Celeri obtutu perspexit arcam Boulé, vidit forulum occultum patere atque vacuum; dein oculos in Grady defixit.

"Ergone evasit cum iis?" quaerit.

"Quem, malum, te esse arbitraris?" vultu suffuso inclamat eum Grady, "sic huc intrare ausus? Apage sis hinc, alioquin faxo ut eiiciaris!"

"Quin ego mea sponte abibo," compositus respondet Godfrey. "Iam vidi quod videre volui. Unum tamen te

monitum esse velim, Grady—hac nocte tuam propriam supplicii sententiam tui subscripsisti!"

"Quid his verbis innuere vis?" submissiori voce quaerit Grady.

"Significare volo te, post evulgatam historiam rerum hac nocte gestarum, ne horam quidem perduraturum."

Ut Grady oculis aspernantibus et e contemptu flagrantibus Godfrey obtutui occurrerat, expalluit. Quod vero ad me attinet, et mihi terror quidam animum meum obsederat.

"Num innuere vis hunc non Piggott fuisse?" tandem balbutivit Grady.

Godfrey cum derisione respondit:

"Va, bipedum stultissime, certe non fuit," inquit. "Hic non Pigot fuit.
Quin ipse fuit Crochard!"

Quibus verbis foras itavit, ianuis pone se impulsu obditis.

[1] *Latex, -icis*, m., poetis *aquam*, vel etiam alia liquida significat, alias idem sonat atque *liquor, liquidum*, quibus propter vulgarem sensum utendum non iudicavi.

[2] *Lympha, -ae:* idem quod *latex*, sive aqua, liquidum, liquor, etiam poetarum, sed recte adhibetur, quod et aliis formis satis frequens est, uti *lymphare, lymphaticus*, cerritus, fanaticus, furiosus, mente captus.

[3] *Suber, -is*, n., est genus quercús, e cuius cortice obturacula fiunt, ad orificia lagenarum occludenda.

[4] *Lurco, -nis:* homo gulosus, edax, nullius pretii.

[5] *Gossypium, -ii*, est id quod Germani *lanam* arboream vel ligneam vocant, quam terrae meridianae gignunt, et ex qua, tamquam ex lino, telam albam, aliquando cum lino mixta, texunt, vulnera obtegunt, ac quam multifariis modis adhibent.

[6] *Confercio*,4 *-fersi, -ferctum*, vel, per affectationem, *confertum*, omisso *c*, quae omissio studiosis confusionem cum verbo *fero* incutit.

[7] *Arca fortis:* ferrea arca, ut in argentariis aut etiam in privatis officinis reperiuntur, ad pecuniam, documenta, aliaque pretiosa conservanda, quam veteres etiam *thesaurum* vocaverunt.

[8] *Fides:* scilicet mercatoria, qua siquis polleat, ei audemus merces concredere, pecuniam mutuam dare.

[9] *Clavulare, -is*, n., est currus ad devehendos, vel convectandos milites; hic currus lictorius.

[10] *Apocha, -ae:* vulgo *quietantiae* (*litterae*), h. e. quibus fidem facimus nos aliquam rem rite accepisse.

[11] Vocabulum Romanum non quidem salutationis formalis, uti Francorum "ad te revidendum," quod valde ineptum est, sed tamen fere eodem sensu, uti Cic. Div. I, 23, 47, "*Propédiem* te videbo."

CAPUT XXVI

Sors Heri Pigot.

Quocunque demum e defectu prospicientiae et imaginationis Grady laborare potuerit, satis concitatus animi alacritate non caruit. Fere priusquam sonitus propulsae ianuae evanuerat, iam ad scriptoriam decurionis adstitit.

"Evoca subsidiarios," praecipit, "fac etiam ut alterum clavulare cito adsit. Per telephonum praetorio nomine meo demandabis ut omnem quem assequi possit satellitem celerrime ad Argentariam Diurno-Nocturnam concurrere iubeat!"

Interea ipse adstans truculenter masticabat convolvulum, dum decurio iussa faciebat. Vix momento temporis subsidiarii tunicis suis induendis satagebant simul et sonitus ungularum, crepitusque rotarum de platea exaudiebatur; subsidiarii in clavulare irruebant, ego quoque me ingessi, Grady autem in sessibulo iuxta aurigam locum cepit, ac momento temporis quadrupedantes ruebamus, campanula nostra simul in viis silentibus et emortuis clangens resonabat.

Ego sustentaculo[1] haerebam dum clavulare ruendo persultandoque orbitas[2] electrovagorum[3] huc et illuc nutabat, dumque oculos tenebris noctis immergebam cogitandi studiosus. Anne Godfrey non erravit? At certe ille

non errat! Instinctus quidam naturalis id mihi suadebat; et tamen qui valuit Crochard se agenti Francico sufficere? Ubinam erat Pigot? Num alicubi convolutus cumulus iacebat cum parvulis in dextra vulneribus? Hoc fieri certe non poterat—Grady atque Simmonds totam vesperam cum eo egerunt! Fierine etiam posset ut aetate provectus Francus, subtili, candida ac rugosa cuti, cum virilique soleque usta persona, quam ego ut Felicem Armand cognoveram, idem esset? Mens mea quasi vertigine gyrabat id quod fieri haud posse videbatur reputando—et tamen, aliquo modo sensi Godfrey non errare!

Clavulare nostrum ad metam perveniens tam subito constitit ut ego convectori[4] illiderer, subsidiarii autem foras proruentes me secum raperent. Ante fores Argentariae Diurno-Nocturnae stabamus, ubi lictores iussu Grady aedificium circumfuderunt.

Alterum clavulare iam ante fores stabat, aurigá usque in sessibulo sedente, sed ubi Grady eo verterat, aliquis in limine argentariae comparuit et ad nos clamitavit—ita tamen ut nullum eius verbum intelligerem. At Grady probe videbatur ea excepisse, nam per gradus accurrit, binis simul, eá pernicitate persultatis quae in homine tam ponderoso mira videri debebat, quem ego aemulari haud possem. Aliqui ad unum latus vestibuli stabant deorsum in pulvinari prostratum quempiam spectantes. Vix momento temporis animadverti Simmonds eum esse supine iacentem, oculis autem laquear rigide intuentem.

Secundo tamen obtutu deprehendi oculos visu carere. Grady multum concitatus cubitis sibi per turbam aditum silens paravit.

"Ubi est Kelly?" quaerit.

Ad haec verba quidam albida facie, synthesique[5] indutus, e sella surrexit, quo viribus exhaustus corruere videbatur.

"Tune illic es?" clamat Grady, atroci eum contuitus vultu. "Narra nunc, quid evenit?—Narra autem confestim!"

"Equidem, mi Here," balbutit Kelly, "revera hic nihil accidisse scio. Quum tamen illic ad incile[6] constiteramus, ego autem ad aperiendum claustrum clavularis descenderam, praeter Simmonds ibi quum neminem reperi, hunc affatus sum, sed nullum tuli responsum—quum vero eum attrectassem, ipse aliquo modo e sedili prorsum decidit—quo visu huc irrui, ac per telephonum stationem appellavi, at responsum mihi est te iam huc profectum esse; tunc hinc prodivimus eumque huc invexímus—nec plus scio."

"Nihilne audivisti—nullum sonum luctae?"

"Nullum sonum audivi, Here; nihil prorsus."

"Nec ullo modo meministi ubi ille alter excessisset?"

"Non memini."

"Herus Simmonds vidulum parvum secum habebat—animadvertistine?"

"Animadverti; etiam quaesivi in curru, at non ibi est."

Grady cum maledictis se avertit, quum quaterni quinique lictores e via irruebant—ut mihi videbatur, ex decuria. Audivi eum cum his submissa sed acuta voce colloqui, quo facto, subito, ut venerant, discesserunt. Subsidiarii quoque simul discurrerunt, unde mihi certum videbatur Grady everriculum[7] per totam regionem distendere, in qua profugum occultari verosimile erat; at in praesentia magis de salute Simmonds quam de consiliis lictoriis sollicitabar.

Proinde dextram eius prehendi, qua visa allevatus animo sum quum illaesam eam deprehendissem.

"Quisquamne medicum accersivit?" quaesivi.

"Accersimus," respondit aliquis actariorum[8] argentariae. "Medicum per telephonum evocavimus—iam etiam adest!" Eodem tempore homo brevioris staturae, nigro barbatus intravit, certum suae artis indicium, bulgam medicamentariam secum gestans.

Advena leviter lustrato corpore, manu nos recedere iussit, procubuit in genua, indumenta resolvit in pectore, auremque cordi applicuit. Dein in rigidos inspexit oculos, palpebras induxit, observavitque ut illae subito recellerent, tum demum bulgam suam pandit.

"Aliquantulum aquae," ipse petit.

"Itaque non est mortuus?" quaero ego, quum quis scribarum pro aqua discurrit.

"Mortuus? Non quidem, sed inhalavit aliquid, quod ei cor omnino stitit."

Genus horroris sensi per cutim meam sursum repere, quum mihi in mentem veniret memoria ad dimidium plenae eius lagenulae rubidi veneni, quam Crochard in sacculo secum gerebat.

At ille modo mortem infligere nolebat; memini Godfrey dixisse eum nunquam adversarium occidere solitum. Medicus interea acriter elaboravit, ac pauca minuta post oculi Simmonds subito claudebantur, tum longum duxit spiritum, denique etiam se ad sedendum erexit. Paulatim aperuit oculos, sedebat titubans ac nutans, oculisque errantibus circumspectabat.

"Satius erit tibi iterum decumbere," ait medicus verbis lenibus.
"Necdum, ut scis, firmus es pedibus."

"Ubinam sum?" halitans quaerit Simmonds. Tum casu me animadvertit.
"Lester!" me affatur. "Ubi est ipse—Piggott? Non . . ."

Verba haeserunt, fulgida argentariae marmora dispectabat, palpando aliquid iuxta unum latus quaeritabat, denique in pulvinar recidit.

Quí ea nocte domum in Marathon venerim, prorsus non memini. Verosimile est pedibus memet domum contulisse; primum quod memini erat me domi esse, et in artisellio maxime commodo sedentem fumare. Quod fuma accensa erat argumento est me eam mechanice, fereque alienum mente accendisse, perinde atque otiandi amictum induisse. Respexi in horologiolum vidique horam prope iam quartam esse.

Verticem capitis mei tamquam febri ardere sensi, quamobrem latrinam[9] ingressus, caput epistomio[10] aquae gelidae supposui. Hic mihi stringor admodum profuit; quum autem me sabano[11] acerrime perfricuissem, multo melius me habui. Itaque mox in artisellium reversus, totius vesperae eventus commodum recolere coepi; reperi tamen animum adeo languere ut ante oculos meos iterum atri circuli gyrarent.

"Iam monui Godfrey me harum rerum nihil amplius sustinere posse," mecum mussabam, ac sine mora in lectuale[12] me recepi cubiculum, non sine molestia me exui, lumenque exstinxi.

Dum in lecto cubabam insomnis tenebras intuens, aculeus unius cogitationis ad erigendum me in lecto me compulit.

Godfrey—ubinam interea erat Godfrey? Nam ipse vestigia Crochard insequi mihi parebat. Num insequebatur? Num cum eo manus conserere ausus est? Fortasse etiam hoc ipso momento . . .

Vix mei compos palpando mihi viam ad telephonum quaesivi, ac numerum Godfrey petivi—absurde et contra spem sperans, denique tamen, summo stupore, et in magnam animi allevationem vocem eius audivi—non admodum amicam . . .

"Heus!" refert ipse.

"Godfrey," coepi ego, "hic Lester. Ille evasit."

"Utique evasit! Spero te non ob hoc me e lecto evocasse?"

"Ergo tibi hoc notum?"

"Novi eum evasurum."

"Quum clavulare ad argentariam appulit, nemo nisi Simmonds in eo repertus est. Simmonds enim, ut recte suspicaberis, comes eius fuit."

"Ullumne tulit incommodum?"

"Extra se inventus est, sed iam ad se rediit."

"Bene est—sed Crochard non eum laederet. Ipse tamen utique cum gemmis effugit?"

"Utique," repetivi verbum, non parum miratus Godfrey tam aequo animo rem ferre. "Quum in eum modum erupisti," subiunxi, "putabam fieri posse ut ad insectandum eum ruisses."

"Quídum? Quum ipse mihi vicenis minutis iam superior esset? Non adeo insanio! Nuper vix dimidio minuti secundi superior mihi effugit."

"Tentavi te assequi," explicui illi, "quamprimum Simmonds me docuerat ituros se ad arcam visendam; officinam vestram per telephonum evocavi. Concinnator urbanarum nuntiavit te Westchester esse missum."

Godfrey risu respondit.

"Ignes fatuos sum insectatus," inquit, "auctore Crochard, amico nostro. At vero etiam tum, nisi quinis milliariis ab omni prope loco absentibus nobis apsis nostra foramen accepisset, tempori adfuissem. Novi enim quid subesset—at sic fata voluere. O, Lester, quam ille nobis cunctis ora sublevit! Ita futurum te monui!"

"Meum ergo nuntium non accepisti?"

"Tradiderunt mihi quum nuntiassem negotium Westchester meram fraudem esse; tum celerrime quam poteram ad decuriam properavi, sed iam sero."

"Verum, mi Godfrey," obverto, "ego ne modo quidem perspicio quemadmodum ipse haec perfecerit. Grady et Simmonds cum Pigot unà terram petiverunt, nec ab eo memorabilia urbis visentes discesserunt. Quemadmodum Crochard se ingessit? Quidnam ipse de Pigot fecit? Ubinam est Pigot?"

"Ille in *Savoie* est. Simul atque ex decuria discessi nuntium aereum navi misi. Officiales navis statim indagare coeperunt, repereruntque Pigot vinctum oreque obturato sub cama suae diaetae iacentem."

Elinguis stupui.

"Quid quod ego id ne suspicatus quidem sim!" Godfrey se acerbe reprehendit "Ibi stantes vidimus eam celocem cum vexillo Francico ut nos praeterivit; etiam vidimus hominem ex ea in *Savoie* transgressum; denique etiam vidimus eundem cum Pigot colloquentem . . ."

"Ita vero," probavi ego spiritu fere deficiente, "vidimus."

"Ille ergo erat Crochard. Is igitur ipsum Pigot in diaetam suam illexit—eodem quo Simmonds odore eum sine dubio soporatum sub cama seposuit; synthesin eius induit, vultum offucia[13] et fuco finxit, capillamentum[14] sumpsit—cuncta autem haec interea administravit dum nos eum praestolantes fere calces detrivimus."

"At vero ipse immani se discrimini obiecit," obverto ego. "Tam multi vectorum cognoverunt Pigot—proinde simulationem[15] oportebat accuratissimam esse."

"Crochard nostrum talia minime retardant. Nec discrimen erat tam grave. Pigot nemo nostrum propius vidit; nihil nisi occipitium eius conspeximus; vectores vero cuncti in medicum inspectorem erant intenti. Et tamen simulamentum accuratissimum fuit. Crochard enim eius rei peritissimus est artifex, nec dubitandum est eum habitum ac speciem Pigot optime novisse.

"Quin et aerarium navis fefellit—nec ipse esset quidquam suspicatus!"

"Sic ergo ipse hic Crochard fuit . . ."

"At nos decebat suspicari. Decebat nos omnes suspicari, omnia in dubium revocare; decebat me hunc salutatorem arctius aspectare videreque quo denique devenerit. Loco tamen huius, Crochard documenta Pigot in saccum recondidit, bulgam eius extra ianuam collocavit diaetae, tum

compositus prodiit, amicos suos relatores convenit; ego autem, ceu puellus scholaris cum eo colloquens illic steti—nec mirum si me bardum ac bucconem esse iudicat!"

"Verum nec alius quisquam id suspicatus esset!" halitavi ego. "Est
Aedepol ille . . ."

"Ingenio insigni," explet Godfrey. "Ingenio supremo, cui nemo sit comparandus. Ego vero haec toto eo tempore novi, proinde cavere me decebat. Probe meministi eum mihi per litteras nuntiasse hodie se venturum?"

"Memini."

"Nec tu credidisti."

"Ne nunc quidem credere queo."

"Unum nobis solatio erit—id Grady nostrum labefactabit."

"Verum, Godfrey," interloquor ego, "si modo eos adamantes videre potuisses—adamantes eos pulcherrimos—pro, nefas! quod nobis inspectantibus eos eripere valuit!"

"Scelus nonne nefastum? Ast facta infecta fieri nequeunt, Lester;" dein mutata voce subiunxit, "velis, rogo, cras, meridie, vel potius hodie, in tua interesse officina."

"Placet, interero," spopondi.

"Cave mihi defueris. Usque unus comoediae actus ad agendum superest."

"Interero," dixi iterum. "Vereor tamen ne actus ille postremus anticlimax futurus sit. Adverte modo Godfrey . . ."

"Iam licet decumbas," interpellat ipse, "somnambuli instar loqueris.
Vide sis ut somnum capias. Iamne paratus pro feriis es?"

"Godfrey," inquam, "dic mihi . . ."

"Nec quidquam dicam. Tamen usque unam habeo bombam quam displodam,
Lester, quae quidem ingens est, quae subsultare te coget!"

Percepi eum e stomacho ridere.

"Vale!" inquit, "faustam tibi noctem!" et auscultatorium pependit.

[1] *Sustentaculum, -ii*, est capulus, in ingressu clavularis, cuiuslibet alterius vehiculi, quem in gradu stantes, aut conscendentes, manu prehendunt, ne elidantur.

[2] *Orbita, -ae:* proprie vestigium rotarum in pulvere, luto, vel molli terra; hic longurii ferrei, sive ferrovia, cui rotae vectabulorum insistunt.

[3] *Electrovagum, -i*, sunt vectabula vi electrica acta, unde et Germani suum *wagen*, (*vagum*), hinc vicissim Angli suum *wagon* deprompserunt.

[4] *Convector, -is*, socius itineris.

[5] *Synthesis, -is*, f.: proprie omnes partes vestimenti, quae unum indumentum efficiunt; hic eo sensu accipio quo "uniformes vestes" usurpare solemus.

[6] *Incile, -is*, n., est locus infimus in via, secundum tramitem, ubi aquae decurrunt.

[7] *Everriculum, -i*, est rete, sagenae genus, quod piscatores in fluvio trahunt, et vix ullus pisciculus evadere valet.

[8] *Actarius, -ii*, est scriba, qui *acta* conficit aut transcribit, moderna idioma perperam act_u_arium esse volunt, quo vocabulo nos *naves* significamus.

[9] *Latrína, -ae:* contractum e *lavatrína*, cubiculum, camera ubi nos lavamus.

[10] *Epistomium, -ii:* quo aquam e canaliculis, sive tubulis versa cochlea, vel vecticula, elicimus.

[11] *Sábanum, -ii:* mantele, mantela, mantelum, manutergium, quo qui vultum, aut manus, laverit, deterget.

[12] *Lectuale, -is*, n.: cubiculum, ubi *lectus* stat.

[13] *Offucia, -ae:* omne genus pigmentum vultús, uti cerussa, purpurissa, fucus, fraus, dolus, technae, tricae.

[14] *Capillamentum, -i:* corymbion, falsa coma.

[15] *Simulatio* proprie est *similatio*, quum quis suum vultum alterius vultui fuco, falsá barbá, falsá comá aliisque modis, *similem* reddit, eumque lineamentis imitatur.

CAPUT XXVII

Actus Dramatis Ultimus.

Postridie mane perdormivi et, hoc ita misere, ut usque eo dum sedem in tractu subterraneo cepissem, otium ad perlustranda diaria nactus non essem. Unciales primum quaesivi litteras, quibus relata de furto adamantum inscriberentur; sed mox intelligere coepi diurna matutina id referre haud potuisse, quod eventus vix paucas horas ante contigit—et tamen aevum praeterivisse parebat ex quo Godfrey ad me Gradyque irruerat. Sic itaque res urbanae modo solito fluebant, incolis beata inscitia eventuum sua negotia prosequentibus, qui paullo post, per proximas editiones pomeridianas evulgandi illorum mentes concussuri essent, et quibus eventibus describendis, illustrandis, et adornandis relatores, artifices photographique sine dubio etiamnum satagerent et elaborarent. Itaque amoenum mihi dimidiae horae spatium legendis relatis Godfrey pollicitabar.

Tum demum etiam mihi in mentem venit horam duodecimam statum nobis tempus conveniendi esse. Ultimus dramatis actus usque edendus erat, uti Godfrey dixerat, qui et bombam memoravit—et magnam quidem! Mirabar quid id futurum esset. Unum certum esse scivi: si Godfrey id apparavit stupendum id esse futurum.

Complura erant inter munera mea quae curam meam efflagitarent, ego autem tantá adveneram mora, horaeque

matutinae tam cito labebantur, ut quum ministellus ingressus heros Grady et Simmonds in atrio adesse meque convenire velle nuntiasset, eorum adventum cum adventu exspectato Godfrey nihil commune habere putarem. Tum horologium aspicio videoque quinque tantum minuta ante duodecimam superesse, et tunc demum intellexi auctores dramatis congregari.

"Introduc eos," aio puero; illi mox intraverunt.

Grady admodum videbatur esse perturbatus. Vultus eius plerumque floridus modo pallebat pendulus, genae foede sulcatae, cutis sub oculis rugata erat, oculi autem ipsi sanguine suffusi. Ex aspectu eius colligebam eum somno caruisse; totam noctem Crochard quaesitando exegisse—et satis clarum erat totum laborem in cassum fuisse. Simmonds quoque fere confectus esse videbatur, nec dubium quin omnem veneni olfacti noxam necdum penitus eluctatus sit.

"Gaudeo te melius habere, Simmonds," manu porrecta eum alloquor. "Nonne 'facilis descensus Averni'?"

"Verum memoras," probat Simmonds in sellam se demittens. "Paucillo plus eius rei effecisset ut nunquam expergiscerer."

"Quidquamne meministi quemadmodum id evenerit?"

"Nihil quidquam. Paulisper unà sederamus amicissime colloquentes—inde nihil amplius memini usque dum in argentaria sensus recuperavi."

"Ubinam ille homo Godfrey est?" interpellat Grady.

"Meridie se hic futurum promisit," respondi ego, aspectando meum horologiolum. "Iam est meridies. Hicne eum conventurus eras?"

Grady suspiciose me contuebatur.

"Nihilne tibi ea de re cognitum est?" quaerit.

"Nihil nisi quod me ut hic praesto essem rogavit. Quid est?"

"Peream si scio," Grady impatienter respondit. "Ipse etenim mihi nuntiavit satius sibi videri si ego hic eum opperirer, ego autem existimavi eum aliquid scire posse. Caeterum ita vertigine laboro e rebus hesterna nocte actis, ut fere in gyrum verser. At vero adventum eius non opperiar. Non me ad id cogere poterit! Veni, Simmonds, abeamus."

"Exspectandum parumper," interpello ego interea dum ianuam extrinsecam patescere audio. "Fortasse iste ipse Godfrey est."

Et ita etiam res fuit. Ipse profecto intravit a viro comitatus, quem
Arcturum Shearrow, principem iurisperitum diurni *Record* esse cognovi.

Godfrey nutu capitis omnes nos consalutavit.

"Existimo te herum Shearrow novisse," me affatur, deposita in scriptoriam bulgá, quam secum ferebat. "En sisto tibi herum Lester, mi Here Shearrow," quibus dictis manus alter alteri tetendimus. "Ideo vos hic ad congrediendum convocavi, ut quaedam circa adamantes Michaelovitch negotia dirimerentur—et, casu, etiam hac in re merito *Record* recolerentur, et hoc tanta celebritate, quantá iam diu non gloriata sit."

"Ego quidem non ad augendam gloriam *Record* huc veni," obtestatur
Grady. "Diurnum illud me nunquam ex aequo tractavit."

"Modo quo meruisti te tractavit," regerit Godfrey. "Iam ita ut sentio tecum loquar, Grady. Tua iam fata statuta sunt. Post quam effugium illud hesternum in vulgum efferetur, ne horam quidem perdurare poteris."

"De ea re alias!" Grady mutit, sed satis erat patulum pugnacem animum illi exemptum esse.

"Relatum teneo te non sivisse nocte hesterna ut Simmonds me per telephonum advocaret?" quaerit Godfrey.

"Prorsus ita—nihil enim ad te attinebat."

"Fortasse non attinebat. Et tamen, si ego interfuissem, scitissimus
Parisiorum, si non orbis terrarum, fur in Statione Viae Vigesimae
Tertiae intra caveam e chromo-nicolino chalybe factam securus sederet,
loco libere grassandi, et alium quempiam compilandi."

"Tu nimiopere tibi confidis," regerit Grady. "Facile est post facta sapere."

"Ego vero tecum non disceptabo," refert Godfrey. "Non negabo furem optime se dissimulasse, rationem rem gerendi praeclaram—nihil tamen secius te ea perspicere decebat. Tuum erat id videre."

Grady vultum suum tersitabat.

"Ita, sane, utique!" ludificabat Grady. "Me perspicere decebat! Suspicari me decebat etiam quum tu eum intervisere satagebas; quum ipse ego de navi devehebam; etiam quum eius documenta rata ac probata repereram—quin etiam usque ad effigiem suam in syngrapho suo! Nonne haec iam clara sunt! Si modo homines aeque bene

prospicere, quam respicere possent, quam essent cuncta prospera!"

"Ausculta modo, Grady," amicius fatur Godfrey, "nihil habeo quare tibi in persona infensus sim; nec diffiteor stulte me egisse quum sollicitus ibi stetissem et cum Crochard collocutus essem, nec quis ille esset suspicarer. At haec omnia praeter rem sunt. Tu decuriae speculatorum praees, proinde tuum est de rebus his cunctis respondere. Nec tu fortitudine cares, hoc libenter do; verum tu muneri tuo impar es—munus dotes tuas excedit, nec te id fallit. Sequere consilium meum, adi sis illum telephonum propriisque verbis tuis te abdica."

Grady, velut qui auribus diffidit suis, oculos in eum figit.

"Me per telephonum abdicare!" repetit verba. "Num me insanire putas?"

"Magis nunc quam hactenus putavi! Patroni tui nihil amplius tibi proderunt, Grady."

"Istane sunt ad quae audienda me huc accersivisti?"

"Non ista sunt," refert Godfrey, "haec mera accidentalia existimes—nonne tu hanc disceptationem induxisti?—Huc te accersivi ut convenires . . ."

Ianua exterior iterum patefit, et Godfrey subridens eo oculos convertit.

"Herus Piggott!" ministellus nuntiat.

Ego e sella mea paene prosilii, enimvero qui in limine stabat adeo idem cum eo qui occultum forulum aperuerat esse videbatur, ut id adiurare haud dubitassem.

In medium progressus quemque in faciem contuitus est, quum denique
Godfrey conspexit, et in eum renidens:

"Ecce me hic, mi Here," inquit; ego vero voce eius audita iterum stupui, quippe quae cum voce Crochard eadem erat. "Spero me causam morae vobis non praebuisse."

"Nequaquam, Here Pigot," Godfrey eum certiorem fecit, sellá ei simul oblatá.

Grady atque Simmonds ancónes[1] suarum sellarum arctius prehendisse mihi videbantur, oculisque fixis ac labiis apertis advenam mirabantur; scire etiam putabam quae cogitationes eorum animos subivissent. Estne hic Pigot? An ille qui forulum occultum aperuerat Pigot fuerit? Aut vero neuter sit Pigot? Fierine potest ut hic alius ac diversus ab eo sit qui arcam aperuerat?

Equidem fateor mihi quoque idgenus cogitata et suspitionem quandam Godfrey nostrum nos ludere, suborta esse Godfrey dispiciens versus nos subridebat ut nostrum animadvertit aspectum.

"Hoc mane," fatur Godfrey, "in portum descendi _La Savoie_que adivi. Hero Pigot cuncta noctis hesternae eventa evolvi, rogavique eum ut hic congressui nostro interesset. Benigne assensum praebuit. Certiores etiam vos esse volo," viso Grady diffidenti obtutu, "herum hunc *vere* Pigot esse, Servitii Securitatis Parisiorum, non autem Crochard."

"Prorsus ita," ait herus Pigot, gestu quodam deprecatorio. "Ego ipse sum—quamvis conscius maximi dedecoris, quod in tendiculam a Crochard mihi paratam incideram incautus. Is tamen homo est vaferrimus."

"Assimulatio illa certe mira fuit," refero ego. "Imo et plus id vocari fas est, nempe alienam personam simulare et ementiri."

"Crochard occasione mea lineamenta discendi non caruit," immotus respondit herus Pigot. "Ipse autem in cunctis quae suscipit artifex est. Aliquando tamen capiam eum—urceus enim quisque puteum aliquando uno plus aequo adit. Nullane est spes eum hic, Neo Eboraci, capiendi?"

"Vix esse existimo" ait Godfrey.

"Cave tam sis certus!" incidit Grady suo pondere. "Res mea necdum est absoluta—nullo prorsus pacto!"

"Ignosce, obsecro, Here Pigot, quod hero huic te non stiti," fatur Godfrey, "herus hic est Grady, qui praefectus nostrae decuriae agentum fuit; hic autem est herus Simmonds, e membris consilii eius; vir hic herus Lester, advocatus, meusque amicus est; vir hic herus Shearrow est, consultor meus proprius. Herus Grady, herus Simmonds, atque herus Lester nocte hesterna," blande subiunxit, "quum Crochard forulum occultum aperuerat, simul interfuerunt."

Grady sensim rubore est suffusus, quin et ego vultum excandescere sensi meum. Herus Pigot non sine hilaritudine subridens nos aspexit.

"Eventus sine dubio perquam erat laetificus," fatur, "cernere Crochard operantem. Tam iucundi eventús testem me esse nunquam mihi contigit. Doleo tamen eum securum effugisse."

"Praesertim quod adamantes Michaelovitch secum rapuit," subiunxi ego.

"Antequam ea pertractemus," interpellat Godfrey paululum subridens, "sunt una alteraque quaestiones, quas tibi, Here Pigot, proponere velim, ut singularia quaedam, quae nobis necdum sunt in claro, perspicuae fierent. Estne verum consilium furti adamantum Michaelovitch a Crochard commentum fuisse?"

"Absque dubio. Nemo furum Francicorum praeter eum tanto molimento par esset."

"Aequene verum est nullas directas eius rei evidentias contra eum repertas fuisse?"

"Aeque verum. Negotium tam astute gessit, ut eum evincere nullo pacto possemus, nisi surreptas gemmas in sua deprehendissemus possessione."

"Et hoc vos facere nequivistis?"

"Nequivimus; gemmarum nulla vestigia reperimus, quamvis omnia ruspati essemus."

"At vos de arca Boulé deque forulis occultis nihil scistis?"

"De his nihil scivimus. Famosam eam arcam a me explorandam iam esse arbitror."

"Est operae pretium. Et historia eius memorabilis est. Sed tibi constabat Crochard hic in America adamantes eos venumdare tentaturum?"

"Hoc probe scivimus, nec quidquam est quod ad cohibendum eum non tentavimus. Plurimum vestris portitoribus confisi sumus, speravimusque eos accuratissime exploraturos omnium sarcinas, qui ipsis in persona cogniti non essent."

"Portitores nostri," in stomacho ridens fatur Godfrey, "officiis suis utique non defuerunt. Illi certe totam Rempublicam everterunt! Et adamantes tamen, iis invitis, irrepserunt; quandoquidem arca a cive tam universim noto, tamque supra omnem suspitionem, ut erat herus Vantine, immissa est prorsus sine quaestione!"

"Sane, profecto," concessit herus Pigot rei veritatem non sine amaritudine. "Coeptum fuit audacissimum, atque nunc, nullo dubio, Crochard poterit gemmas per otium divenditare."

"Non poterit, si modo contingat mihi accuratam earum descriptionem comparare," obvertit Grady. "Faciam etenim ut quisque hicce terrarum gemmarius notititam rei capiat; cunctos meos satellites ad hoc negotium delegabo; faxo ut Praefectus Wilkie aliquos suorum mihi commodet . . ."

"Quin haud oportebit tanta moliri," interpellat Godfrey incurie.
"Crochard gemmas venumdare non tentabit."

"Non venumdare tentabit?" stupens quaerit Grady. "Ut quid non?"

"Quia eas non habet," refert Godfrey subridens, haud obscure laetatus conspectum Grady confusum cernens.

"Cave iam verba dare!" increpat eum Delectus exasperatus. "Si non ipse eas habet, quis, malum, habeat?"

"Ego," inquit Godfrey, brachiique uno amplexu tollit de scriptoria mea bulgam. "Age, Lester, prosterne mucinium tuum," et ut ego confusus morem gesseram, ipse tollit alutam,[2] aperit, eius contenta ceu eluvium scintillans et coruscans effudit. "Ecce," exclamans se ad Grady vertit, "adamantes Michaelovitch!"

[1] *Ancón, -ónis*, m., inter alia, est brachium sellae.

[2] *Aluta, -ae:* idem quod *bulga*, vidulus.

CAPUT XXVIII

Crochard Epilogum Scribit.

Saltem pro momento oculis praestrictis contemplabamur fulgidum cumulum; dein Grady verbis confusis in pedes consiliit, gemmarum quantum manu capere poterat prehendit, velut qui oculis fidem non habuerit.

"Ego vero hoc totum non intelligo!" exclamat. "Habesne et ipsum
Crochard?"

"Non sum tam fortunatus," respondit Godfrey.

"Num tu significare vis eum haec sine luctamine dedidisse?"

Eadem ipsa et meum animum percucurrit cogitatio. Si Godfrey debellavit Crochard, illique adamantes ademit sine ad mortem luctamine, nebulo ille urbanus minus quam videbatur habendus est formidabilis.

"Amice Grady," respondet illi Godfrey, "Crochard ex eo momento non vidi quo tu eum e navi evexeras. Si tu modo sivisses ut Simmonds me evocaret, eum modo tenerem. Hoc mihi fuit in votis. Ipse tamen nos acumine superavit. Mihi enim persuasum erat hodie eum venturum . . ."

"Quid? Tune scivisti eum venturum?" stupens repetebat Grady. "Quí id scivisti?—an vero os mihi sublinis?"

"Scivi eum venturum," asserit Godfrey breviter, "quoniam ita mihi scripto nuntiavit."

Herus Pigot brevem risum edidit.

"Moris sui est id factitare," inquit, "et promissis stare etiam solet."

"Eo sum deceptus," prosequitur Godfrey, "quod eum non tam matura diei parte exspectavi, unde factum est ut facile auctor fuisset quare ego ad ignem fatuum insectandum, ad explorandum fictum eventum missus essem. Istud me decepit. Verumtamen ego occultum forulum iam denis ante diebus reperi et exploravi—dum arca usque in aedibus Vantine servabatur—postridie vespera qua Matrona Velata suas litteras recuperaverat. Et hoc factu satis facile erat. Miror, Lester, perquam quod de ea re non tu etiam cogitavisti!"

"Qua de re non cogitavi?" quaero ego.

"De ianua harum ambagum. Forulus qui litteras celabat, fuit a laevo latere arcae; inde statim intellexi ab adverso latere alium forulum delitescere oportere, quem et a dextro altere repertum aperui."

"Ego quidem," inquam, "non perspexi; ne modo quidem perspicio."

"Agedum, perpende paucis. Cur fuit Drouet occisus? Quia erroneum aperuit forulum. Is enim mechanisma a dextro arcae attrectavit, loco a laevo. Venusta illa Iulia necessario erravit, illi dextrum, loco laevi lateris indicando. Error idgenus facillime incurritur, quod verosimile est heram suam isti in aperiendo forulo tergo ad se verso fuisse. Iuliam ipsam erravisse fit certum, quum molimentum hero Vantine explicuit, et ob eum errorem hic quoque occisus est.

Praeterea et Matrona Velata verbis claris prodidit rem sic se habere."

"Ego id non animadverti," explico ego aequo animo. "Quidnam id fuit?"

"Dixit scilicet ipsa se manu laeva, loco rectae, forulum aperire solitam esse. Post dictum hoc nullus prorsus locus dubio superesse poterat. Et sic forulum prorsus nullo labore reperi. Hunc enim ibi esse necesse erat."

"Esto," respondi, "tum quid?"

"Tum gemmas sustuli, eas fabricatori imitamentorum exhibui, et adulterinas quoad par erat accurate factas substitui. Arduum perquam erat coeptum huic adamanti roseo maiusculo par comminisci simulacrum."

His verbis eum e cumulo sustulit, duosque inter digitos ostentavit.

"Quidnam hoc pulchrius?" quaesivit.

Herus Pigot languide subrisit.

"Is Mazarin vocatur," ait, "valetque francorum milliones tres. Eius imitamentum in Louvre asservatur."

"Est id itaque verum?" quaero ego. "Crochard historiam eius prodidit."

"Est, sane, sine dubitatione," asserit herus Pigot. "Nec hoc secretum est—sed aliquid quod memoria omnium excidit."

"Itaque," pergit Godfrey, "postquam imitamenta acceperam, gossypio ea involvi, et in locum horum in forulum supposui,

non parum cautus ut Mazarin in fundum, ubi eum repereram, ponerem."

"Fortunatum admodum quod de ea re cogitasti," dixi illi, "alioquin
Crochard aliquid suspicatus esset."

Godfrey subridens in me respexit.

"Mi Lester," respondet mihi, "simul ac primum evolverat convolutum, confestim intellexit se emunctum esse. Num eum falli posse arbitraris? Nulla, ne optima quidem gemma fucilis,[1] eum fallet."

Et nunc reapse memini quemadmodum leni rubore suffusus fuerit primum convolutum quum evolvisset.

"Non in animo mihi fuit eum decipere," docet Godfrey. "Aliquid improvisi volebam ei parare. Et ego, pro, scelus, ad hoc videndum testis interesse non potui!"

"Sed si novit gemmas esse adulterinas," obverto ego, "quid profuit illi tanto conatu eas subducere?"

"Hoc ipsum hesterna vespera et mihi grave videbatur aenigma," refert
Godfrey, "quin ne nunc quidem plane capio."

"Fortasse ipse tamen veras et genuinas in sua habet potestate," suggerit
Grady, qui cuncta haec relata incredula quodammodo aure exceperat.
"Fabula mihi perquam fucosa sonat. Quid si istae sint illae gemmae
adulterinae?"

Herus Pigot in medium progressus, Mazarin manu attollit et caute aspectat.

"Ista saltem gemma genuina est," post momentum edixit. "Nec dubito quin et reliquae genuinae sint," fatur eas inter digitos versitans.

Grady usque dubius, sumpta una gemmá ad fenestram accessit eamque vitro applicitam deorsum duxit, acri vestigio laesurae in vitro relicto.

"Est genuina," inquit invitus. "Meo quidem arbitrio veri isti adamantes sunt," quibus dictis iterum consedit.

"Nunc vero amici," pergit Godfrey, qui actum Grady ludicrum patienter ac subridens ferebat, "hos adamantes in vestram ditionem dedere sum paratus. Velitis eos itaque numerare, mihique de acceptis apocham reddere."

"Tum tu, utique, de eventu historiam scribes," refert per sarcasmum
Grady, "tuoque cuncta attribues merito."

"Ehem," intuitus eum Godfrey quaerit, "ullumne tu tibi meritum vindicas?" Ad quae verba Grady rubore suffusus nihil quod diceret habebat. "Quod ad historiolam attinet ea iam scripta est. In denis minutis ea iam in viis versabitur—et in stuporem omnes aget! Modo velis adamantes numerare. Reperies eos ducenos esse et denos.

"Tot revera adamantes Magno Duci surrepti sunt," monet herus Pigot, ac numerare perrexit. Adamantes numerarunt ducentos et decem.

"Herus Shearrow substernet apocham," Godfrey subiungit; post Shearrow chartam e sacculo exprompsit, eam evolvit, textumque eius praelegit.

Repertum vero est chartam non modo apocham fuisse, sed plenam narrationem singularium, nec celavit quidquam ex eventibus circa furtum, meritaque *Record* circa repertos atque recuperatos adamantes. Vultus Grady interim magis magisque rubescere coepit dum documentum praelegebatur.

"Ego vero testimonium idgenus nunquam subscribam," obblaterat Grady.
"Nullo prorsus pacto id patrabo!"

"At vero tu, mi Here Pigot, nonne subsignabis?" quaerit Godfrey.

"Libenter equidem," respondet Francus, "eo enim res a te bene gestae, et bene de Republica te meruisse agnoscitur," quo dicto in medium progressus nomen cum coronide[2] subsignavit.

"Iam modo tu, Simmonds," suadet Godfrey.

"Cave feceris," interloquitur Grady. "Fac maneas ibi ubi es, Simmonds. Prohibeo tibi quominus id subsignes. Memineris me tibi officio praestare."

"Noli credere, Simmonds," quiete interloquitur Godfrey. "Horae aut pluris spatio ipse officialis esse desiit."

Grady in pedes consiliit, oculisque inflammatis versus Godfrey itabat.

"Quid tibi in animo est innuere?" boabat.

"Innuere volo," refert Godfrey, "me atque herum Shearrow hoc mane praefectum urbis adivisse, eique quaedam in nostra potestate testimonia submisisse—hunc casum inter

reliqua—tuamque abdicationem hoc meridie acceptam fuisse."

"Meane abdicatio?" hirriebat Grady. "Nunquam eam exscripsi!"

"Licebit, si velis, hoc in vulgum praedicare," frigide regessit Godfrey. "Id tuum erit videre. Ut iam monui te, per telephonum debebas officio tuo renuntiare. Nunc demum, Simmonds."

Grady paulisper furentis tauri instar oculos circumferebat dum ego eum fere in Godfrey se praecipitaturum exspectabam; attamen loco huius, pileum capiti suo impegit, progressus ad ianuam, eam violenter pandit, se proripuit eamque pone se impulit.

"Nunc demum, Simmonds," repetit Godfrey sonitu emortuo, quum Simmonds in medium progressus subscripsit. Ego testis fui subsignationis factae, quum Godfrey, multo etiam quam antea se avidiorem praebens, chartam prehendit, eaque ad ianuam cucurrit.

"Fac istam rem celerrime quam poteris in officinam deferas," dicit cuidam ante ianuam adstanti. "Caetera per telephonum docebo. Istud," inquit ianuá clausá ad nos reversus, "meum est praemium—sive potius praemium *Record*—ob omnes has res gestas. Atque nunc, amici, diga heri Shearrow ante ostium praestolatur, et ego satius existimo ut hanc praedam in aliquam tutam arcam depositariam devehamus."

Circiter denos post dies Godfrey quadam vespera visum me venit. Modo tantum a Promontorio Cod, ubi septimanam summo valetudinis meae beneficio exegeram, reversus sum; nec est cur asseram convenisse eum maximo mihi fuisse delectamento.

"Denique aspectu iam iterum tui es similis," me affatur totum oculis lustrans. "Per aliquod tempus non parum de te sollicitus eram."

"Nunquam melius valui. Saepius te monui nihil ad valetudinem meam desiderari, nisi ut mysterium illud tandem aliquando solvatur."

"Et id solutum est ad tempus statum, nonne est verum?" quaerit subridens, "tametsi non eo quo exspectavi modo. Scito tamen, Lester, futurum ut arcam eam mihi vindicem," inquit renidens.

"Quanam lege?" quaero.

"Quod dominus eiusdem mihi eam donavit," quibus verbis schedulam e crumena sua exprompsit, mihique porrexit.

Evolutá schedulá scripturam subtilem ac foemininam, quam semel iam ante videram, agnovi.

"*Here mi humanissime* (erat epistolii textus)

"Comperi me aequo minoris te fecisse, et ob id me purgatum tibi esse velim. Confido ita mihi aliquando a fortuna fautum iri ut in coepto quodam tecum in vices iuncti simus—exitus cuius profecto vicissitudinibus miris haud cariturus sit. At nunc in Europam me redire per *La Bretagne* necesse est; fieri enim posse non arbitror, post discrimina quae subiveram, ut Suae Celsitudinis Magni Ducis adamantes deseram. Confido sperare mihi licere ut tu, veluti pignus meae erga te summae aestimationis, arcam Boulé accipere a me non gravére, quam, persuasum habeo, optimum nostrum herum Lester, si has ei

litteras exhibueris, tibi dedere non negaturum. Arca enim non
modo praeclara res per se est, sed et in maiori tu eam pretio
habebis propter partem quae ei in nostra minutula comoedia
obvenerat. Hanc aliquem domicilii tui angulum ornare, scitu
mihi delectabile esset.
"Usque eo dum tibi iterum mihi occurrere detur, mi Here
humanissime,
"Tuus cum admiratione persevero
CROCHARD, Ille Invincibilis."

"Nonne hic aequus est ludio?" quaerit Godfrey, dum epistolium illi reddo. "Quid ergo de arca statuendum putas?"

"Crochard eam praestinasse in dubium vocari posse haud puto," respondi.

"Itaque ea modo mea est?"

"Tua profecto est; at quadam re abs te corrumpi postulo."

"Agedum, postula."

"Et ego strenam quoque exigo," inquam. "Illas litterulas quoque admodum concupivi—insuper," subdidi, "vice velim, putes apochae, si quisquam me ob tibi donatam arcam postularet."

Godfrey in risum erupit, schedulamque trans mensam ad me traiecit.

"Habeas, tua est," inquit. "Ego autem cras, qui arcam devehat, mittam.
Ut puto, ea usque in statione est?"

"Ibi est, quod ad vindicandam eam otium mihi necdum suppetivit. Sed,
Godfrey," subdidi, "quandonam solvit *La Bretagne?*"

"Hodie octo.[3] Cras Havre appellet."

"Annuntiavistine illis?"

"Quidnam vis me annuntiasse?"

"Crochard adamantes insectari. Hos per *La Bretagne* vectos esse verosimile arbitror.

"Ita sane—et Pigot vectus est cum iis unā. Cur ergo eos moneam? Ipsi certe sciunt Crochard ad potiundum iis adamantibus enisurum. Id tentare apud eum fere officium honoris est, me iudice. Eorum ergo est cavere."

"Nec hoc nimis arduum videri deberet," noto ego. "Cubiculum enim forte navis vectoriae locus in omni orbe maxime securus habendus est."

"Ita et mihi videtur," probat Godfrey, fumo emisso gyranti.

Brevi post ipse sine ulterioribus verbis a me discessit.

Verumtamen quo accuratius dicta perpenderam, eo clarius perspicere coepi e retorto sono verba eius non adeo responsum quam quaestionem fuisse.

Quum itaque postridie diurnum meum evolveram, litteras unciales quodammodo me conspecturum exspectavi, quibus nova perfractae casteriae fortis *La Bretagne* nuntiarentur. Eiusmodo tamen inscriptio abfuit, unde suspirio partim gaudii, partim exspectationis frustratae, ad caetera nova me converti.

Attamen binis post septimanis litterae inscriptionis unciales mihi revera sub oculos ceciderunt:

ADAMANTES MICHAELOVITCH ADULTERINI!
AGENS FRANCICUS EX AMERICA GEMMAS
ADULTERINAS REFERT
FRAUS RETECTA EST QUUM MAGNUS DUX MICHAEL
Adamantes denuo Auro complectendos ad Gemmarium mittit.

Opus haud esse existimabam articulum qui sequebatur legere, vidi enim ictu oculi quid evenisset. Inde etiam intellexi quare Crochard gemmas adulterinas conservasset—usum enim earum capturus erat. Ubi tamen et quando commutatio facta sit, divinare tantum queo; unum tamen certum esse debet: duae septimanae a tempore furti satis erant otii quo praedam ipse divendere posset. Sortem Magni Ducis misertus sum; etiam magis dolui vicem praeclarissimi heri Pigot; nihilo tamen secius quis non miraretur alacritatem et pernicitatem hominis qui hos spoliaverat? Mirabar quis Mazarin emisset. Is certe adamas venditu difficillimus fuit. Poterat utique in frusta secari—verum hoc sacrilegium futurum erat!

Quaestioni tamen huic paullo post responsum est singulari quodam modo—tali nempe ut eo narrando plurimi diurnorum antes explerentur, magnamque voluptatem vulgo Francico, comoediae amantissimo afferret, quique nostri Crochard famam mirum in modum augeret et diffunderet. Quodam mane in novis personalibus diurni *Le Matin* notitia edita erat hunc fere in modum:

"Hero Rectori Musei Louvre:
"Boná fortuná mihi contigit adamante rosaceo, Mazarin appellato potiri. In animo mihi est tuis eum collectaneis restaurare, ne amplius populum imitamento vitreo picto

fallere necessarium videatur. Insigni mihi erit voluptati gemmam hanc tibi donare cum omni honoris testimonio, si modo Sua Celsitudo, Magnus Dux Michael, velut donationis socius, sua voluntate mihi adstipulari velit. Quodsi vero negaverit, tristi muneri ducam adamantem, quandoquidem propter magnitudinem usui meo minus aptum reperio, in frustula secari. Libens tamen spero Magnum Ducem assensum
mihi non negaturum.
"CROCHARD, Ille Invincibilis."

Quid poterat Magnus Dux statuere? Recusaturus risui vulgi compitorum se obiecisset. Praeterea nihil quod necdum amiserat erat amissurus. Prohinc haud exspectandá gratía partem donatoris praestitit. Biduo post director Louvre super scriptoriam suam manipulum reperit; quo evoluto, Mazarin invenit. Quum viseris Louvre, in vitreo speculario, honoris loco, in Apollinis loculamentis, custode adstante, adamantem eum conspicies. Historia tamen huius restitutionis factae e memoria hominium sensim oblivione deleri incipit.

Crochard vero? Nescio. Quoque mane nova Parisiaca lectitare consuevi, rimando, si quo modo Invincibilis ille nova quadam metamorphosi alicubi compararet. Epistolium suum quadraturá complexum sub oculis ante scriptoriam meam pendet, idque quotidie lectito. Una eius sententia perpetuo mihi in memoria versatur:

"Confido ita mihi aliquando a fortuna fautum iri, ut in coepto quodam tecum in vices iuncti simus—exitus cuius profecto vicissitudinibus miris haud cariturus sit."

Et ego confido mihi concessum iri ut molimento ei interesse possim!

[1] Fucata, adulterína, falsa.

[2] *Coronis, -idis*, f.: moris quondam fuit, et usque est fere apud multos, post nomen subscriptum litteras adiicere *m. p.*, manu propriá, ita saepe affectata et depravata, ut iam non litterae sed confusae lineae, vanaque linearum ornamenta esse viderentur, cuius rei vestigia supersunt, quamquam qui id faciunt, nesciunt quid faciant. Idem evenit de verbo *Finis*, ex quo coronas et corollas finxerunt.

[3] *Hodie octo*, Latinitate sequiori, h. e. aevi Christiani, ex quo calendario Christiano utimur, *ex hodie octo* phrasis usu venit ad septimanam sequentem indicandam, seu, rectius, octo dies. Phrasis itaque significat *octo diebus a die hodierno*. Vicissim *hodie octo*, diebus octo *ante* hodiernum diem.

FINIS.

Transcriber's Notes:

In a few footnotes single digits numbers occur after a verb. These are not typos but indicate the conjugation a verb belongs to.

All occurrences of ligatures have been replaced by 'ae' and 'oe' respectively.

Several typos concerning quotes have been corrected (not in multi-paragraph quotes).

Additionally the following typos have been corrected:

Caput I:

- pagellam iucurie contuetur -> pagellam incurie contuetur

Caput II:

- ac satium duxi -> ac satius duxi - leva autem manu -> laeva autem manu - in mentem mihi vehit -> in mentem mihi venit

Caput III:

- tibi am memoravi -> tibi iam memoravi - in fauce ima occurit -> in fauce ima occurrit - me anspectans -> me adspectans

Caput IV:

- respondit miratus -> respondi miratus (checked against English edition)
- generalia indicaia -> generalia indicia

Caput V:

- praterivisse oportebat -> praeterivisse oportebat

Caput VI:

- Quisnam adiunt -> Quisnam adiuvit
- Footnote "Anthrax . . .": tamen *cabonem* -> tamen *carbonem*

Caput VII:

- infensum fuisse. -> infensum fuisse? (checked against English edition)

Caput VIII:

- nortua est -> mortua est

Caput IX:

- novit secretum huis veneni -> novit secretum huius veneni

Caput X:

- cuiusque rei grauioris -> cuiusque rei gravioris
- est occassio -> est occasio
- solius colius collocutionis -> solius collocutions (error due to page break)

Caput XI:

- basilisci oculorum instar micanste -> basilisci oculorum instar micante

Caput XII:

- de iso arcano homine -> de isto arcano homine
- Footnote "Hirquitallio . . .": virilitatem affectnas -> virilitatem affectans

Caput XIII:

- a suius moribus -> a cuius moribus - scistitata esset -> sciscitata esset - in sua esset patestate -> in sua esset potestate - Accessi igitur adscriptoriam -> Accessi igitur ad scriptoriam

Caput XV:

- oculosqu clausit -> oculosque clausit - matrona velata immisericoris -> matrona velata immisericors - in subteglino -> in subtegulino - Mendacim est. -> Mendacium est. - amere mulieri nefas est? -> amari mulieri nefas est? - Cosilium ceperat -> Consilium ceperat - testem eus rei -> testem eius rei - satis constentaneum -> satis consentaneum

Caput XVI:

- nec praetera dubitandum -> nec praeterea dubitandum - admodum partaesam fuisse -> admodum pertaesam fuisse - siquo modo -> si quo modo - ut iis abuit -> ut iis abuti - Deniqe -> Denique - Ullasne omplius -> Ullasne amplius - Nullas omplius -> Nullas amplius - oculos in tapetas defixios -> oculos in tapetas defixos - Parisiis advisset -> Parisiis adivisset - summi fui ingenii -> summi fuit ingenii - occidit Druet -> occidit Drouet

Caput XVII:

- cum quadrente -> cum quadrante - oboculos ei posui -> ob oculos ei posui

Caput XVIII:

- resdondit Godfrey -> respondit Godfrey
- Godfrey iterum erubuit. -> Goldberger iterum erubuit. (checked against English edition)
- sive Vantide -> sive Vantine

Caput XIX:

- sursumrepere animadverti -> sursum repere animadverti

Caput XX:

- cadveris ibi iacentis -> cadaveris ibi iacentis - facinus perfieiemus -> facinus perficiemus

Caput XXI:

- sit similima -> sit simillima - Armand sequveremini -> Armand sequeremini - facilo id effecturus -> facile id effecturus - decuriae Viae Vigessimae -> decuriae Viae Vigesimae

Caput XXII:

- Viae Vigessimae Tertiae -> Viae Vigesimae Tertiae - caput attolere -> caput attollere - tu igitur gratia -> tui igitur gratia (checked against English edition) - siquem alium -> si quem alium - e meculatura -> e maculatura

Caput XXIII:

- vestigio peregrinae enuntioationis -> vestigio peregrinae enuntiationis

Caput XXIV:

- mores Granci -> mores Franci - proditur fuit -> proditor fuit - Footnote "Ostentaria . . .": ita ut nestro -> ita ut nostro

Caput XXV:

- ad plentitudinem -> ad plenitudinem - ostestans parvum cumulum -> ostentans parvum cumulum - secum habera solebat -> secum habere solebat - historio eximius -> histrio eximius - bipedum stultisimme -> bipedum stultissime

End of Project Gutenberg's Mysterium Arcae Boulé, by Burton E. Stevenson

*** END OF THIS PROJECT GUTENBERG EBOOK MYSTERIUM ARCAE BOULÉ ***

***** This file should be named 46456-8.txt or 46456-8.zip
***** This and all associated files of various formats will be found in: http://www.gutenberg.org/4/6/4/5/46456/

Produced by Carolus Raeticus

Updated editions will replace the previous one—the old editions will be renamed.

Creating the works from public domain print editions means that no one owns a United States copyright in these works, so the Foundation (and you!) can copy and distribute it in the United States without permission and without paying copyright royalties. Special rules, set forth in the General Terms of Use part of this license, apply to copying and distributing Project Gutenberg-tm electronic works to protect the PROJECT GUTENBERG-tm concept and trademark. Project Gutenberg is a registered trademark, and may not be used if you charge for the eBooks, unless you receive specific permission. If you do not charge anything for copies of this eBook, complying with the rules is very easy. You may use this eBook for nearly any purpose such as creation of derivative works, reports, performances and research. They may be modified and printed and given away—you may do practically ANYTHING with public domain eBooks. Redistribution is subject to the trademark license, especially commercial redistribution.

*** START: FULL LICENSE ***

THE FULL PROJECT GUTENBERG LICENSE PLEASE READ THIS BEFORE YOU DISTRIBUTE OR USE THIS WORK

To protect the Project Gutenberg-tm mission of promoting the free distribution of electronic works, by using or distributing this work (or any other work associated in any way with the phrase "Project Gutenberg"), you agree to comply with all the terms of the Full Project Gutenberg-tm License available with this file or online at www.gutenberg.org/license.

Section 1. General Terms of Use and Redistributing Project Gutenberg-tm electronic works

1.A. By reading or using any part of this Project Gutenberg-tm electronic work, you indicate that you have read, understand, agree to and accept all the terms of this license and intellectual property (trademark/copyright) agreement. If you do not agree to abide by all the terms of this agreement, you must cease using and return or destroy all copies of Project Gutenberg-tm electronic works in your possession. If you paid a fee for obtaining a copy of or access to a Project Gutenberg-tm electronic work and you do not agree to be bound by the terms of this agreement, you may obtain a refund from the person or entity to whom you paid the fee as set forth in paragraph 1.E.8.

1.B. "Project Gutenberg" is a registered trademark. It may only be used on or associated in any way with an electronic work by people who agree to be bound by the terms of this agreement. There are a few things that you can do with most Project Gutenberg-tm electronic works even without complying with the full terms of this agreement. See

paragraph 1.C below. There are a lot of things you can do with Project Gutenberg-tm electronic works if you follow the terms of this agreement and help preserve free future access to Project Gutenberg-tm electronic works. See paragraph 1.E below.

1.C. The Project Gutenberg Literary Archive Foundation ("the Foundation" or PGLAF), owns a compilation copyright in the collection of Project Gutenberg-tm electronic works. Nearly all the individual works in the collection are in the public domain in the United States. If an individual work is in the public domain in the United States and you are located in the United States, we do not claim a right to prevent you from copying, distributing, performing, displaying or creating derivative works based on the work as long as all references to Project Gutenberg are removed. Of course, we hope that you will support the Project Gutenberg-tm mission of promoting free access to electronic works by freely sharing Project Gutenberg-tm works in compliance with the terms of this agreement for keeping the Project Gutenberg-tm name associated with the work. You can easily comply with the terms of this agreement by keeping this work in the same format with its attached full Project Gutenberg-tm License when you share it without charge with others.

1.D. The copyright laws of the place where you are located also govern what you can do with this work. Copyright laws in most countries are in a constant state of change. If you are outside the United States, check the laws of your country in addition to the terms of this agreement before downloading, copying, displaying, performing, distributing or creating derivative works based on this work or any other Project Gutenberg-tm work. The Foundation makes no representations concerning the copyright status of any work in any country outside the United States.

1.E. Unless you have removed all references to Project Gutenberg:

1.E.1. The following sentence, with active links to, or other immediate access to, the full Project Gutenberg-tm License must appear prominently whenever any copy of a Project Gutenberg-tm work (any work on which the phrase "Project Gutenberg" appears, or with which the phrase "Project Gutenberg" is associated) is accessed, displayed, performed, viewed, copied or distributed:

This eBook is for the use of anyone anywhere at no cost and with almost no restrictions whatsoever. You may copy it, give it away or re-use it under the terms of the Project Gutenberg License included with this eBook or online at www.gutenberg.org

1.E.2. If an individual Project Gutenberg-tm electronic work is derived from the public domain (does not contain a notice indicating that it is posted with permission of the copyright holder), the work can be copied and distributed to anyone in the United States without paying any fees or charges. If you are redistributing or providing access to a work with the phrase "Project Gutenberg" associated with or appearing on the work, you must comply either with the requirements of paragraphs 1.E.1 through 1.E.7 or obtain permission for the use of the work and the Project Gutenberg-tm trademark as set forth in paragraphs 1.E.8 or 1.E.9.

1.E.3. If an individual Project Gutenberg-tm electronic work is posted with the permission of the copyright holder, your use and distribution must comply with both paragraphs 1.E.1 through 1.E.7 and any additional terms imposed by the copyright holder. Additional terms will be linked to the Project Gutenberg-tm License for all works posted with the

permission of the copyright holder found at the beginning of this work.

1.E.4. Do not unlink or detach or remove the full Project Gutenberg-tm License terms from this work, or any files containing a part of this work or any other work associated with Project Gutenberg-tm.

1.E.5. Do not copy, display, perform, distribute or redistribute this electronic work, or any part of this electronic work, without prominently displaying the sentence set forth in paragraph 1.E.1 with active links or immediate access to the full terms of the Project Gutenberg-tm License.

1.E.6. You may convert to and distribute this work in any binary, compressed, marked up, nonproprietary or proprietary form, including any word processing or hypertext form. However, if you provide access to or distribute copies of a Project Gutenberg-tm work in a format other than "Plain Vanilla ASCII" or other format used in the official version posted on the official Project Gutenberg-tm web site (www.gutenberg.org), you must, at no additional cost, fee or expense to the user, provide a copy, a means of exporting a copy, or a means of obtaining a copy upon request, of the work in its original "Plain Vanilla ASCII" or other form. Any alternate format must include the full Project Gutenberg-tm License as specified in paragraph 1.E.1.

1.E.7. Do not charge a fee for access to, viewing, displaying, performing, copying or distributing any Project Gutenberg-tm works unless you comply with paragraph 1.E.8 or 1.E.9.

1.E.8. You may charge a reasonable fee for copies of or providing access to or distributing Project Gutenberg-tm electronic works provided that

- You pay a royalty fee of 20% of the gross profits you derive from the use of Project Gutenberg-tm works calculated using the method you already use to calculate your applicable taxes. The fee is owed to the owner of the Project Gutenberg-tm trademark, but he has agreed to donate royalties under this paragraph to the Project Gutenberg Literary Archive Foundation. Royalty payments must be paid within 60 days following each date on which you prepare (or are legally required to prepare) your periodic tax returns. Royalty payments should be clearly marked as such and sent to the Project Gutenberg Literary Archive Foundation at the address specified in Section 4, "Information about donations to the Project Gutenberg Literary Archive Foundation."

- You provide a full refund of any money paid by a user who notifies you in writing (or by e-mail) within 30 days of receipt that s/he does not agree to the terms of the full Project Gutenberg-tm License. You must require such a user to return or destroy all copies of the works possessed in a physical medium and discontinue all use of and all access to other copies of Project Gutenberg-tm works.

- You provide, in accordance with paragraph 1.F.3, a full refund of any money paid for a work or a replacement copy, if a defect in the electronic work is discovered and reported to you within 90 days of receipt of the work.

- You comply with all other terms of this agreement for free distribution of Project Gutenberg-tm works.

1.E.9. If you wish to charge a fee or distribute a Project Gutenberg-tm electronic work or group of works on different terms than are set forth in this agreement, you must obtain permission in writing from both the Project Gutenberg Literary Archive Foundation and Michael Hart, the owner of

the Project Gutenberg-tm trademark. Contact the Foundation as set forth in Section 3 below.

1.F.

1.F.1. Project Gutenberg volunteers and employees expend considerable effort to identify, do copyright research on, transcribe and proofread public domain works in creating the Project Gutenberg-tm collection. Despite these efforts, Project Gutenberg-tm electronic works, and the medium on which they may be stored, may contain "Defects," such as, but not limited to, incomplete, inaccurate or corrupt data, transcription errors, a copyright or other intellectual property infringement, a defective or damaged disk or other medium, a computer virus, or computer codes that damage or cannot be read by your equipment.

1.F.2. LIMITED WARRANTY, DISCLAIMER OF DAMAGES - Except for the "Right of Replacement or Refund" described in paragraph 1.F.3, the Project Gutenberg Literary Archive Foundation, the owner of the Project Gutenberg-tm trademark, and any other party distributing a Project Gutenberg-tm electronic work under this agreement, disclaim all liability to you for damages, costs and expenses, including legal fees. YOU AGREE THAT YOU HAVE NO REMEDIES FOR NEGLIGENCE, STRICT LIABILITY, BREACH OF WARRANTY OR BREACH OF CONTRACT EXCEPT THOSE PROVIDED IN PARAGRAPH 1.F.3. YOU AGREE THAT THE FOUNDATION, THE TRADEMARK OWNER, AND ANY DISTRIBUTOR UNDER THIS AGREEMENT WILL NOT BE LIABLE TO YOU FOR ACTUAL, DIRECT, INDIRECT, CONSEQUENTIAL, PUNITIVE OR INCIDENTAL DAMAGES EVEN IF YOU GIVE NOTICE OF THE POSSIBILITY OF SUCH DAMAGE.

1.F.3. LIMITED RIGHT OF REPLACEMENT OR REFUND - If you discover a defect in this electronic work within 90 days of

receiving it, you can receive a refund of the money (if any) you paid for it by sending a written explanation to the person you received the work from. If you received the work on a physical medium, you must return the medium with your written explanation. The person or entity that provided you with the defective work may elect to provide a replacement copy in lieu of a refund. If you received the work electronically, the person or entity providing it to you may choose to give you a second opportunity to receive the work electronically in lieu of a refund. If the second copy is also defective, you may demand a refund in writing without further opportunities to fix the problem.

1.F.4. Except for the limited right of replacement or refund set forth in paragraph 1.F.3, this work is provided to you 'AS-IS', WITH NO OTHER WARRANTIES OF ANY KIND, EXPRESS OR IMPLIED, INCLUDING BUT NOT LIMITED TO WARRANTIES OF MERCHANTABILITY OR FITNESS FOR ANY PURPOSE.

1.F.5. Some states do not allow disclaimers of certain implied warranties or the exclusion or limitation of certain types of damages. If any disclaimer or limitation set forth in this agreement violates the law of the state applicable to this agreement, the agreement shall be interpreted to make the maximum disclaimer or limitation permitted by the applicable state law. The invalidity or unenforceability of any provision of this agreement shall not void the remaining provisions.

1.F.6. INDEMNITY - You agree to indemnify and hold the Foundation, the trademark owner, any agent or employee of the Foundation, anyone providing copies of Project Gutenberg-tm electronic works in accordance with this agreement, and any volunteers associated with the production, promotion and distribution of Project Gutenberg-tm electronic works, harmless from all liability, costs and

expenses, including legal fees, that arise directly or indirectly from any of the following which you do or cause to occur: (a) distribution of this or any Project Gutenberg-tm work, (b) alteration, modification, or additions or deletions to any Project Gutenberg-tm work, and (c) any Defect you cause.

Section 2. Information about the Mission of Project Gutenberg-tm

Project Gutenberg-tm is synonymous with the free distribution of electronic works in formats readable by the widest variety of computers including obsolete, old, middle-aged and new computers. It exists because of the efforts of hundreds of volunteers and donations from people in all walks of life.

Volunteers and financial support to provide volunteers with the assistance they need are critical to reaching Project Gutenberg-tm's goals and ensuring that the Project Gutenberg-tm collection will remain freely available for generations to come. In 2001, the Project Gutenberg Literary Archive Foundation was created to provide a secure and permanent future for Project Gutenberg-tm and future generations. To learn more about the Project Gutenberg Literary Archive Foundation and how your efforts and donations can help, see Sections 3 and 4 and the Foundation information page at www.gutenberg.org

Section 3. Information about the Project Gutenberg Literary Archive Foundation

The Project Gutenberg Literary Archive Foundation is a non profit 501(c)(3) educational corporation organized under the

laws of the state of Mississippi and granted tax exempt status by the Internal Revenue Service. The Foundation's EIN or federal tax identification number is 64-6221541. Contributions to the Project Gutenberg Literary Archive Foundation are tax deductible to the full extent permitted by U.S. federal laws and your state's laws.

The Foundation's principal office is located at 4557 Melan Dr. S. Fairbanks, AK, 99712., but its volunteers and employees are scattered throughout numerous locations. Its business office is located at 809 North 1500 West, Salt Lake City, UT 84116, (801) 596-1887. Email contact links and up to date contact information can be found at the Foundation's web site and official page at www.gutenberg.org/contact

For additional contact information:

Dr. Gregory B. Newby
Chief Executive and Director
gbnewby@pglaf.org

Section 4. Information about Donations to the Project Gutenberg Literary Archive Foundation

Project Gutenberg-tm depends upon and cannot survive without wide spread public support and donations to carry out its mission of increasing the number of public domain and licensed works that can be freely distributed in machine readable form accessible by the widest array of equipment including outdated equipment. Many small donations ($1 to $5,000) are particularly important to maintaining tax exempt status with the IRS.

The Foundation is committed to complying with the laws regulating charities and charitable donations in all 50 states of the United States. Compliance requirements are not

uniform and it takes a considerable effort, much paperwork and many fees to meet and keep up with these requirements. We do not solicit donations in locations where we have not received written confirmation of compliance. To SEND DONATIONS or determine the status of compliance for any particular state visit www.gutenberg.org/donate

While we cannot and do not solicit contributions from states where we have not met the solicitation requirements, we know of no prohibition against accepting unsolicited donations from donors in such states who approach us with offers to donate.

International donations are gratefully accepted, but we cannot make any statements concerning tax treatment of donations received from outside the United States. U.S. laws alone swamp our small staff.

Please check the Project Gutenberg Web pages for current donation methods and addresses. Donations are accepted in a number of other ways including checks, online payments and credit card donations. To donate, please visit: www.gutenberg.org/donate

Section 5. General Information About Project Gutenberg-tm electronic works.

Professor Michael S. Hart was the originator of the Project Gutenberg-tm concept of a library of electronic works that could be freely shared with anyone. For forty years, he produced and distributed Project Gutenberg-tm eBooks with only a loose network of volunteer support.

Project Gutenberg-tm eBooks are often created from several printed editions, all of which are confirmed as Public Domain

in the U.S. unless a copyright notice is included. Thus, we do not necessarily keep eBooks in compliance with any particular paper edition.

Most people start at our Web site which has the main PG search facility:

www.gutenberg.org

This Web site includes information about Project Gutenberg-tm, including how to make donations to the Project Gutenberg Literary Archive Foundation, how to help produce our new eBooks, and how to subscribe to our email newsletter to hear about new eBooks.